

Inter eos homines quos Macrobius Saturnalibus apud Vettium Praetextatum congregatos esse fingit, ut per omne feriarum spatium meliorem diei partem seriis disputationibus occuparent, coenae autem tempore iucundiore sermone uterentur, est Servius quidam, 'inter grammaticos doctrinam recens professus,' quem Symmachus (I 24, 8) priscos praeceptores doctrina superare iudicat, Praetextatus autem et Avienus (VI 7, 3 et 4) doctorem doctissimum et doctorum maximum vocant. quem cum Caecina Albinus (VI 6, 1) 'cotidie enarrando Romanae indoli' Vergilium intimam cum poeta familiaritatem contraxisse dicat, non mirum est quod ab eo Avienus (I 24, 20) exigendum esse censem, ut quicquid in Vergilio obscurum videatur quasi litteratorum omnium maximus palam faciat. atque Maurum vel Marium Servium Honoratum qui in Vergilii carmina commentarios scripsérunt a Macrobius induci cum olim suspicati sunt Joannes Seldenus de synedr. Ebr. I 10 (opp. omn. vol. I 2 p. 965) et Andreas Bosius de pontificatu max. imper. Rom. IV 4 (Graev. thes. antiqu. Rom. t. V p. 293), tum nostra memoria docuerunt Ludovicus Janus prolegg. in Macrob. p. XXIX et Henricus Keilius praef. in gramm. lat. t. IV p. LIII. sed cum haud pauca eorum quae Macrobii Praetextati convivas de magni aestimanda Vergilii et doctrina et elegantia disputantes facit eadem extent in illis commentariis qui Servio vulgo tribuuntur, extiterunt qui Macrobii libros et Servii commenta etiam arctiore quodam vinculo inter se contineri putarent. quamquam eos fefellit opinio, qui cum in editionibus Isaaci Pontani recensionem secutis tertii Saturnaliorum libri exitum sextique verba extrema cum Servianis scholiis ad Aen. IV 58 et II 16 conspirare viderent, inde Servium ad commentarios conscribendos Macrobii libris excitatum esse coniecerunt: etenim tertii sextique libri particulas illas Pontanum e Servio petitas Macrobio supposuisse Janus prolegg. p. XXXIV docuit. qua Pontani fraude patefacta ut nihil superstite quod in Servianos commentarios e libris Macrobii translatum esse videatur, tantum abest, ut tertii Saturnaliorum libri capita I—XII tantum non tota in

scholiis Servianis, qualia inde ab anno 1600 eduntur, dispersa legantur. quod non fugit Ottoneum Ribbeckium, qui in prolegomenon ad Vergilii editionem capite octavo ea conligens quae ab obtrectatoribus poetae in Aeneide reprehensa esse traditum est non neglexit quae Macrobius III 10—12 et Euangelum de inscientiae Vergilianae vulneribus detegendis et Praetextatum de excusando poeta disputantem fecit. quae cum in ea qua nunc utimur scholiorum farragine repetita sint, Ribbeckio non improbabile videtur 'ex ipsius Mauri Servii Honori commentario, quem integrum legerit, sua Macrobius his locis transcripsisse:' cum frustula tantum et laciniae veterum commentariorum supersint, mirum esse non posse, quod Praetextati et Euangeli argumenta in brevius contracta legantur et alia addita sint quae Macrobius vel omiserit vel non legerit, cum aliunde ad nostra scholia adglutinata esse possint. itaque Ribbeckius p. 105 postquam comparavit inter se Macr. III 12 et Serv. ad Aen. VIII 276 'non poteramus' inquit 'luculentiore exemplo doceri, quae fuerit antiqua Serviani commentarii facies quamque turpiter vel eis locis, quibus res ipsae plenius quam alibi servatae sunt, deformata et confusa sit.' eodem modo quae ratio inter Macrobius et Servium intercedere videretur Ribbeckius explicavit p. 124, ubi Macr. V 19, 1 sqq. cum Servio Danielis ad Aen. IV 700 sqq. contulit.

Huic sententiae quantum auctoritatis tribuendum sit accuratissime quaeratur oportet. quae si vera esset, quin ea, quae de commentariorum Servio vulgo tributorum origine et compositione et tradita sunt et probabiliter conjectata, omnia reicienda essent, non posset dubitari. dixi autem et in museo rhenano (XIV p. 550) et in iis quae Servii ad Georg. I 1—100 commentario Halis anno 1866 edito praefatus sum ita se rem habere, ut ea sola quae in Burmanni et Lioni editionibus non essent uncis inclusa Servio tribuerentur librorum manu scriptorum inscriptionibus et subscriptionibus, e reliquis autem, quae cuius essent nesciremus, multo maiorem partem codicibus nono vel decimo saeculo scriptis et a Petro Daniele primum editis contineri, minorem quinti decimi saeculi libris deberi (cf. mus. rhen. XIV p. 548 sq.): his testimoniis mihi probari, Servii esse quae in editionibus illis extra uncinos positae legerentur, e reliquis quae Danielis libri haberent ex antiquorum scholiastarum commentariis excerpta esse et Servianis auctoritate vel paria vel superiora, quae e libris noviciis, veluti e Bononiensi bybl. Sti Salvatoris 90, petita essent saeculo quinto decimo ad Vergilium enarrandum inventa esse. quod ita esse aliis

quoque testimoniis comprobatur. usi enim sunt Servio scriptores aliquot, quorum libri hodie supersunt, ut cum Servianis commentariis comparari possint: inter quos Isidori Hispanensis origines nomino et mythographorum quos Maius edidit commenta. quae communia sunt his cum Servio ea collecta non capit spatium huic commentationi concessum. neque tamen, ut fidem faciam mihi dicenti, Servianis commentariis ita comparatis illos usos esse, ut nunc eos habeamus in scriptis libris qui Servii nomen prae se ferant et careant Danielis additamentis, non possum proferre exempla aliquot, quibus id ita esse comprobetur. itaque conferantur inter se Isidorus orig. I 63, 4 et Servius ad Aen. I 373, Isid. orig. III 3, 3 et Serv. ad ecl. II 11, Isid. orig. III 21, 8 et Serv. ad Georg. IV 464, Isid. orig. III 70, 12 et 13 et Serv. ad Aen. I 744 et Georg. I 138, Isid. orig. III 70, 20 et Serv. ad Aen. I 742 et Georg. I 337, Isid. orig. IV 12, 8 et Serv. ad Aen. I 693, Isid. orig. V 3, 1 et Serv. ad Aen. I 507, Isid. orig. V 25, 5 et Serv. ad Ecl. I 33, Isid. orig. V 26, 18 et Serv. ad Aen. VIII 205, Isid. orig. V 27, 13 et Serv. ad Aen. I 54, V 145, ad Georg. III 104, Isid. orig. V 34, 2 et 3 et Serv. ad Georg. I 100, Isid. orig. VI, 19, 82 et Serv. ad Aen. I 632, Isid. orig. VIII 11, 45 et Serv. ad Aen. IV 242, Isid. orig. VIII 47 et 48 et Serv. ad Aen. IV 242, Isid. orig. IX 2, 44 et Serv. ad Georg. III 26, Isid. orig. IX 2, 49 et Serv. ad Aen. I 416, Isid. orig. IX 3, 44 et Serv. ad Aen. III 519, Isid. orig. XII 3, 9 et Serv. ad Aen. IV 402, Isid. orig. XII 4, 10 et Serv. ad Georg. III 416.

Longe maximam partem eorum quae Isidoro et Servio communia sunt sciens praetermissi quia exemplis supra scriptis satis confirmatum videtur quod confirmari volui. reliquum est ut consensum qui quinque locis est inter Isidorum et Servii interpolatorem inde repetendum esse doceam, quod ex eodem uterque fonte sua hauserit. consentiunt autem quae Isidorus V 26, 11 habet 'seditio dicitur dissensio civium, quod seorsum alii ad alios eunt. nam hi maxime turbatione rerum et tumultu gaudent' cum iis quae interpolator ad Aen. I 149 adnotavit 'seditio est dissensio civium, sicut Cicero ait in de republica *cave dissensio civium quod seorsum eunt alii ad alios seditio dicitur*' quae Ciceronis verba a Nonio quoque p. 25 servata sunt. — quae Isidorus de aevo dixit V 38, 4 'nam aeum perpetua est aetas cuius neque initium neque extremum noscitur, quod Graeci *αιώνας* vocant, quod aliquando apud eos pro saeculo, aliquando pro aeterno ponitur. unde et apud Latinos est derivatum' redeunt in his quae Serviano scholio ad Aen. VII 776 addita sunt 'aeum est aetas per-

petua, cuius neque initium neque extremum noscitur, sed hoc modo aevum aetatem Hippolyti posuit. veteres aevum etiam deorum vitam dicebant, nam et Virbius inter deos colitur e. q. s.³ quae verba leguntur quidem in editione Danielis, sed desunt in Parisino 7929. Isidorum qui plura habeat de aevi vocis vi explicanda quam Servii interpolator, ab eo sua mutuatum esse non est probabile, sed eundem uterque auctorem transcripsisse videtur. — Gradius cur Mars diceretur Isidorus VIII 11, 52 his verbis exposuit 'Mars autem apud Graecos gradivus dicitur, eo quod in bellum gradum inferant qui pugnant aut quod in pigre gradiantur.' eandem huius vocis originationem et iisdem verbis expressam apud interpolatorem Servii habemus ad Aen. III 35. neque tamen Vergilii interpreti sua debere dixerim Isidorum qui non dubito quin reliquas quoque quas ille profert Gradii nominis derivationes exscripturus fuerit, si pleniore quem dicunt Servio usus esset. temere enim Isidorus solebat arripere quaecumque in rem suam videretur posse convertere. — De Umbrorum origine IX 2, 87 haec prodidit Isidorus 'Umbri Italiae gens, sed Gallorum veterum propago, qui Appenninum montem incolunt, de quibus historici perhibent, quod tempore aquosae clavis superfuerint et ob hoc ὄμβριονς graece nominatos:' quae quamquam ad verbum prope conspirant cum his quae Servii interpolator ad Aen. XII 753 adnotavit 'sane Umbros Gallorum veterum propaginem esse Marcus Antonius refert: hos eosdem quod tempore aquosae clavis imbribus superfuerunt Umbros cognominatos,' tamen non sunt deprompta e Vergiliani interpretis copiis, qui neque Appenninum montem Umbros incoluisse dixit neque ad graecum eius populi nomen proprie pertinere originationem illam perspexit. cf. Plin. nat. hist. III 112 'Umbrorum gens antiquissima Italiae existumatur, ut quos Ombrios a Graecis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent.' — ea quoque quae ad Aen. X 370 e Parisino 7929 Daniel editit 'per ducis Evandri] melius ducis quam si dixisset regis, hoc enim nomen exprimit ducentem in proelia. Sallustius quo cupidius in ore ducis se quisque bonum et strenum ostentantes, non dixit in ore consulis (non dixit proconsulis codex)' ex eodem fonte hausta sunt, e quo Isidorus deprompsit quae IX 3, 22 de ducis vocabulo exposuit 'dux dictus eo, quod sit ductor exercitus, sed non statim quicunque principes vel duces fiant etiam reges dici possunt. in bello autem melius ducem nominari, quam regem. nam hoc nomen exprimit in proelio ducentem. unde et Virgilius ducis Evandri. Sallustius quo cupidius in ore ducis sese quisque bonum. non dixit in ore consulis.' videmus autem Isidorum

pleniū transcripsisse auctorem, quem sequebantur, quam Servii interpolatorem.

Mythographi Vaticani a Maio primum editi quae e Servii commentariis hauserint diligenter significavit Georgius Henricus Bodius qui Maii editionem Cellis a. 1834 repetendam curavit, ut si quis Servii verba cum illis scriptoribus comparare velit eum ad hunc librum delegare possim. quo tempore scripserint mythographi incertum est. Bodius praef. p. XVII primum eorum post Boehthium floruisse censem.

His ita expositis quaerendum esse videtur, num Ribbeckius consensum illum, quem inter Macrobi Saturnalia et Servium Danielis non nullis locis esse supra diximus, recte interpretatus sit, cum ea quoque quae Daniel e suis libris petivit Servii esse diceret. quam disputationem ita instituendam esse mihi persuasi, ut primum quaereretur, utrum ea quae Servium faceret Macrobius docentem in ipsis Servii commentariis repeterentur necne; deinde tertius Saturnaliorum liber compararetur et cum Servii et cum interpolatoris scholiis; denique disceptatur, num in reliquis Macrobiani libri partibus inessent quae e Servii commentis hausta esse viderentur.

I.

Sat. I 4, 5 sqq. Servius festorum dierum nomina, quae tertiae sint declinationis et neutrius generis, mutata declinatione *orum* saepe habere in genitivo plurali, veterum scriptorum testimonii prolati defendit; addit *viridiorum* quoque et *rectigaliorum* et *anciliorum* dici. ex his in commentariis Servii nihil inveni, nisi (ad Aen. VII 188) *anciliorum* Horatium usurpavisse dicentem (carm. III 6, 10) *anciliorum et nominis et togae oblitus*, quae Horatii verba apud Macrobius non laudantur. consequi videtur Servio ex iis quae de duplice genetivi pluralis nominum illorum forma disputavit, (§ 16) 'veteres indulsisse copiae per varietatem, ut dixerint *exanimos* et *exanimes*, *inermos* et *inermes*, tum *hilaros* atque *hilares*' quamquam cum his ea quae ad Aen. I 484 Servius adnotavit 'et *exanimus* et *exanimis* dicimus, sicut *unanimus* et *unanimis*, *inermus* et *inermis*'. ergo pro nostro arbitrio aut secundae erunt declinationis aut tertiae,' apte conferuntur, nemo tamen in re notissima ex hac exemplorum similitudine effici arbitrabitur, e Servio sua hausisse Macrobius. § 17 sqq. quae Servius de *noctu* ablativo Ennianis et Quadrigarii exemplis usus docet ea Macrobius deprompsit e Gellio, quem N. A. VIII 1 de ea re disputasse capit is illius lemmate probatur, quod hoc est '*hesterna noctu* rectene an cum vitio dicatur et quaenam super istis verbis grammatica traditio sit; item quod decemviri in XII. tabulis *nox* pro *noctu* dixerunt' Vergilii autem interpres *noctu* adverbium esse censet, haec enim eius adnotatio ad Georg. I 287 'nocte nomen est, adeo ut ei Horatius iuxerit praepositionem (ep. I 2, 32) *ut iugulent homines vigilant* (sic omnes quos contuli Servii codices) *de nocte latrones*. nam adverbium *noctu* facit, sicut *diu*. Sallustius *diu* (die Vatic. 3317 a. m. pr.) *noctuque laborare, festinare*.' extremam capit is quarti partem, in qua Servius de *diecrastini*, *diequinti*, *dienoni* formis disputans inducit, e Gellio (N. A. X 24) Macrobius transcripsit. quae Servius ad Georg. I 208 de *die* genitivo docuit hic non pertinent.

In iis capitibus quae in Iani editione libri tertii sunt 18—20, antea fuerunt secundi libri 14—16 Servius de variis arborum et fructuum generibus verba facit. quodsi Macrobius Servianis commentariis usum esse recte statuisse Ribbeckius, inter ea quae Servius in Saturnalibus dicit et quae ad Bucolicon et Georgicon versus aliquot enarrandos protulit non dubito quin plus futurum fuerit similitudinis. veluti *iuglandes* vocari quasi Iovis glandes Macrobius Servius (Sat. III 18, 3) Gavii Bassi, Vergilii commentator suis verbis dicit. Abellanam nucem e corylo arbore nasci Servius et apud Macrobius docet et ad Georg. II 65; sed cum in commentariis cur Avellana (sic codices) dicta sit explicetur, apud Macrobius cur Praenestina eadem dicatur exponitur. quae praeter illa in Macrobius libro de nucum generibus tradita sunt in Servii commentis desunt.

III 19, 1 Macrobius Servium quid sit discriminis inter nuces et mala his verbis facit explicantem 'sunt de agricultura scriptores qui nuces et mala sic dividunt, ut nuces dicant omne pomum quod foris duro tegatur et intus habeat quod esui est, malum vero quod foris habeat quod est esui et durum intus includat.' quae vide quam non consentiant cum iis quae ad Ecl. II 52 a Servio adnotata sunt 'nam nuces generaliter dicuntur omnia tecta corio duriore, ut avellanae amygdalae iuglandes castaneae, sicut contra poma dicuntur omnia molliora.'

III 19, 3 sqq. Servius Persicum malum a citreo non esse diversum cum Oppii (in ordinatorum graecorum libro quarto) et Cloatii (in libro de arboribus silvestribus) testimonis tum Vergilii versu (Georg. II 127) probari dicit, at in commentario ad Georg. II 126 haec leguntur 'apud Medos nascitur quaedam arbor, ferens mala quae medica vocantur, quam per periphrasin ostendit eius suppressum nomen. hanc plerique citrum volunt, quod negat Apuleius in libris, quos de arboribus scripsit, et docet longe aliud genus arboris esse.' quibus adde quae ad v. 131 adnotata sunt '*faciemque simillima lauro*].... sane etiam haec probant citrum non esse, nam citri arbor et multum non potest crescere et multo habet folia maiora quam laurus.'

De pirorum ficorum clearum generibus non inventi in Servianis commentariis quae cum Macrobius III 19, 6 et 20, 1—6, ubi de illis Servius loquitur, comparari possent.

III 20, 7 Amineam uvam a regione vocari docet Servius, quod Aminei olim fuerint ubi nunc Falernum sit, cum quibus congruit Philargyrii ad

Georg. II 97 commentum 'Amineos Aristoteles in Politicis (*polypticis* Vatic. 3317) scribit Thessalos fuisse, qui suae regionis vites in Italiam transtulerint, atque illis inde nomen impositum.' (cf. scholia Bernensia ad hunc versum) Vergilii commentator dormitavit, cum amineum vinum dictum esse scripsit quasi sine minio i. e. sine rubore, nam album esse: quae repetuntur a scho- liasta Bernensi et ab Isidoro Hispalensi (orig. XVII 5, 18 et XX 3, 5).

Quae in iis de quibus adhuc diximus Saturnaliorum particulis Servius inducitur dicens, ea etsi a Vergilio non prorsus aliena sunt, in ipsis tamen poetae versibus enarrandis non versantur. aliter res se habet in sexti libri capitibus VI—IX, in quibus Servius versus aliquot Vergilii interpretatur artemque poetae laudat. atque in sexto capite a Caecina interrogatus docet, quae Vergilius primus figurate dixerit, unde multum latinitati leporis adiectum sit. Aen. VII 283 Circen equos, quos creari fecerit, ipsam creasse dici non est in Servii commen- tario. — Aen. IX 455 Servius Macrobii *tepidaque recentem caede locum* nove dictum esse dicit a Vergilio, noster Servius hypallagen esse docet pro *tepidum locum recenti caede*. — ad Aen. X 444 *et socii cesserunt aequore iusso* idem fere uterque Servius adnotaverunt: Macrobianus 'pro eo quod iussi cesserunt,' noster 'pro *ipsi iussi*' — Aen. XI 82 Servius Macrobii *caesum sanguinem* esse dicit qui ex caesis profundatur, noster pro caesorum sanguine. — ad Aen. XI 4 quae adno- tavit Servius Macrobii, *vota deum dici pro iis quae diis vota sint*, noster omis- sit. item Aen. X 906 quod Servius Macrobii contendit, *pro et me consortem nati concede sepulcro* alium dicturum fuisse *et me consortem nato concede sepulcri*, apud nostrum deest. contra Aen. V 609 *per mille coloribus arcum esse per arcum mille colorum*, quod apud Macrobium Servius docet, idem in nostris scholiis, sed doctius aliquanto his verbis dictum est 'aut subaudis fac- tum, aut antiptosis est *mille colorum* h. e. *multicolorum*', ubi ante *mille colo- rum* voces *pro praepositio* inserenda videtur et *multicolorem* scribendum, quod iam allii intellexerunt. — Aen. XI 194 *coniciunt igni* dixisse poetam pro *coni- ciunt in ignem* Macrobii Servio monendum esse visum est, non monuit noster. — Aen. V 438 *exire tela* idem esse quod *vitare tela* uterque Servius ostendit, quamquam nostri scholion copiosius est: '*exit]* vitat, declinat. unde de Venulo (XI 750) *et vim viribus exit.* et hoc verbo bis usus est tantum?' — dissentit a Servio Macrobiano noster de Aen. X 418; illi enim *canentia lumina esse* *vetustate senilia* videntur, hic 'aut hypallage' inquit 'est pro *ipse canens*, aut physicam rem dicit. dicuntur enim pupillae mortis tempore albescere.' —

Georg. IV 44 *exesae arboris antrum esse pro caverna*; Aen. VII 417 *frontem rugis arare non nimie, sed pulchre dictum esse*; Aen. X 887 *inmanem silvam pro iaculis esse* Servius Macrobius adnotavit, non adnotavit noster. — Ecl. VII 7 *virum gregis esse pro capro* dicit apud Macrobius Servius, in scholiis abusive dictum esse docuit, nam *virum tantum hominum esse*; quamquam Georg. III 125 et Hor. carm. I 17, 8 comparari iussit. — Georg. II 387 (*oraque corticibus sumunt horrenda cavatis*) *ora pro personis dicta esse satis* habet adnotasse Servius Macrobius, contra noster cur in Bacchi sacris personae e cortice factae sumerentur docte ostendit. — Aen. VI 204 (*discolor unde auri per ramos aura refulsit*) Servius Macrobius *aura auri quid sit quaerit*, aut quem ad modum aura refulgeat, neque quidquam respondet, nisi pulchre haec usurpavisse Vergilium. contra noster Servius *auri auram splendorem auri esse docet*, ut Horatius quoque carm. II 8, 23 *aura* voce usus sit pro splendore: hinc aurum dici propter splendorem qui sit in eo metallo, et aurarios quorum favor splendidos reddat. cf. ad Aen. VI, 817. — Aen. VI 144 *simili frondescit virga metallo* Servio apud Macrobius bene, in commentariis honeste dictum esse videtur. — quae de Aen. IV 514 apud Macrobius Servius verba facit ea non integra servata esse in libris manu scriptis Janus intellexit. quamquam dubito, num probabiliter coniecerit scripsisse Macrobius '[quomodo potuit veneno] nigro inponere nomen lactis?' etenim admirandam esse poetae artem, non reprehendendam Macrobius volebat ostendere. itaque praestat fortasse aliud quid supplere veluti 'primus ausus est.' noster autem Servius haec adnotavit: 'nigri aut noxii, quia nigri fiunt homines post venenum; aut certe illud est, quia sunt herbae nigri lactis i. e. suci. dicunt autem per periphrasin agreste papaver significari.' ubi 'aut quia nigri fiunt' fortasse scribendum esse nolo omittere. — Aen. X 714 *iraе esse aliquem locutionem inventam esse* a Marone Macrobianus Servius solus adnotavit, qui *odio esse aliquem usitatum esse* dixit. conferantur cum his quae e Parisino 7929 Petrus Daniel deprompsit 'quasi quibus odium est.' — Aen. XII 161 sqq. qui esset verborum et sententiarum ordo noster Servius intellexit, non intellexit Macrobianus, qui Vergilium de duabus incipere dicere et in unum desinere putavit. — ad Aen. XII 813 Macrobius Servius docet solitum esse dici *saudere aliqui*, non *aliquem*. idem noster habet ad Aen. XI 254 '*saudet*' autem *vobis* subaudis, nam *vos* a superioribus subaudiiri non potest, quia non *te suadeo* dicimus, sed *tibi*' et Parisinus 7929 ad Aen. X 10 'ordo autem: quis metus suasit aut hos arma sequi ferrumque laces-

sere; non est enim hos suasit, ne fiat *σολοικοειδές*, quamvis inveniatur huius modi figura, ut *Iuturnam misero (fateor) succurrere fratri suasi* et Ennius (inc. lib. 4 *Vahl.*) *quis te persuasit?* — Georg. III 73 ad *inpende* supplendum esse *in eos* Macrobius Servius solus dixit. — repetitionum et interpositionum exempla quae VI 6, 12 et 13 Macrobius protulit praetermitto, quoniam nihil additum est quod ad enarrandos Vergilii versus pertineat. intermissionem illam quae est Aen. I 135 *quos ego* — a Demosthene (de cor. 3) poetam mutuatum esse nostrum Servium fugit.

In capite septimo libri sexti Servius ab Avieno interrogatus de tribus Vergilii versibus, qui qua ratione explicandi essent dubitasse scimus grammaticos, ipse quid sentiat exponit. ac primum quidem Avienus mirari se dicit, quid sit, quod Vergilius, qui diligentissime semper id egerit, ut aptis ad rem describendam verbis uteretur, Ecl. VI 76 *vexasse* Scyllam Ulixis naves dixerit, quod verbum non congruere rei descriptae atrocitati. quae respondentem facit Servium Macrobius ea ad verbum a Gellio (N. A. II 6) petita sunt, ut de Macrobius fonte nulla possit esse dubitatio. Gellium autem Probi copiis usum esse, Kretschmerus (de A. Gellii fontibus p. 92) et Ribbeckius (prol. in Verg. p. 145) intellexerunt Servii testimonio probari, qui ipse quidem *vexasse* per tapinosin dictum esse existimat, commemorat tamen etiam Probi sententiam, qui *vexasse* venire doceat ab eo quod sit *veho*, ut sit *portasse et pro arbitrio evertisse*. ceterum quae in Probi disputatione, quam Gellius et Macrobius prope integrum servasse videntur, maioris momenti sunt, ea illis quoque continentur quae P. Daniel e Lemovicensi codice, qui nunc in bybliotheca Leidensi est inter Vossianos hist. et litt. in 8°. 80, Serviano scholio addidit. quae utrum e Gellii vel Macrobiis libris an e Probi ipsius commentario deprompta sint, dignum videtur in quod diligentius inquiratur. atque est profecto quo adducar, ut ipsius Probi commenta eum qui haec scripserit ad manum habuisse coniciam. etenim praeter Catonis et Ciceronis verba quae Gellio et Macrobius testibus Probus protulit, ut suum de vexandi verbo iudicium probaret, ille alium Ciceronis locum ex eodem actionis in Verrem secundae libro depromptum ad partes vocavit, qui est 47, 104 *di ablati, fana vexata, nudatae urbes reperiuntur. di* omissum est in Leidensi, unde factum est ut editores, qui post Danielem fuerunt, *ablati* mutarent in *alibi*. praeterea pro *nudatae* codex habet *direptae*.

Deinde Macrobius Servium facit explicantem, cur non sit quod Vergilius vituperetur qui Georg. III 5 Busiridem regem crudelissimum *inlaudatum* voca-

verit. quae profert apud Macrobius Servius, inlaudatum esse aut eum 'qui omni in re atque omni tempore laude omni vacet' aut 'numquam nominandum,' ea cum ex eodem Gellii capite transcripta sint et ipsa Probo deberi Kretschmerus et Ribbeckius probabiliter coniecerunt. in commentariis Servius de *inlaudatus* vocis vi explicanda aliter praecipit quam Probus; inlaudatum enim esse inlaudabilem, indignum qui laudetur his verbis usus docet 'huius laudes scripsit Isocrates; unde *inlaudati* participium est pro nomine, ut sit inlaudabilis, non qui laudatus non sit, sed qui laudari non meruerit, ut est illud in septimo Aeneidos (11) *dives inaccessos ubi Solis filia lucos* pro inaccessibiles, non ad quos nullus accessit, sed ad quos nullus accedere debeat.' ceterum ut ad hunc versum Probi commenta non habeamus in brevius contracta ab eo qui Servii commentarios amplificandos curavit inde factum videtur, quod in Georg. I 279 versu desinit codex Leidensis.

Ea quoque quae in eodem Macrobii capite Servius dicit, ut Aen. X 314 *tunica auro squalens* quid sibi velit exponat, a Macrobo e Gellii libro, a Gellio e Probi commentario hausta sunt. Servius ipse satis habet ad verba quae sunt *tunicam squalentem adposuisse 'splendentem loricam'*, ut Probi disputationem videatur non habuisse cognitam. quae secuntur in nostra scholiorum farragine '*squalentem auro*' splendentem auro, et significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti; squalere enim dictum a squamarum crebritate atque asperitate, quae in serpentum pisciumve coriis visuntur. alibi (XI 770) *quem pellis aënis in plumam squamis auro conserta tegebat*, alibi (XI 487) *iamque adeo rutilum thoraca induitus aënis horrebat squamis*. quidquid igitur inculcatum obsitumque aliqua re erat squalere dicebatur, quae e Parisino 7929 Petrus Daniel primus edidit, utrum e Macrobo vel Gellio an e Probo excripta sint nolo quaerere, cum ea quae exscribenda videbantur interpolatori (non omnia excripsit) cum Macrobii et Gellii verbis prorsus consentiant. nam *intertexti*, quod pro *intexti* legitur in Burmanni editione, coniecturae debetur, non codici.

Gellius (N. A. V 8) ab Hygino narrat Vergilium vituperatum esse quod in versu qui est Aen. VII 187 *ipse Quirinali lituo parvaque sedebat succinctus trabea* deesse aliquid non animadvertisset; nam regem lituo et trabea succinctum esse non posse dici. ad excusandum poetam Gellius sic hoc dictum esse monet, ut pleraque dici per defectionem soleant, velut 'M. Cicero homo magna eloquentia' et 'Q. Roscius histrio summa venustate.' quas ineptias Gellio ipsi

rectius tribui quam docto alicui Vergilii interpreti, quem ab illo exscriptum esse coniciatur, nemo non facile concedet. haec omnia autem a Servio Macrobii Sat. VI 8 1—6 repetita sunt, omissa et in commentariis Servii et in codice Parisino.

Sat. VI 8, 7 sqq. Servius Avieno Aen. I 137 *maturate fugam* quid sit nescire se profitenti — fugam enim contrariam videri maturitati — maturandi verbi vis et quae sit respondet et quo modo differat a properandi verbi significatione. quae e duobus fontibus Macrobius compilavit. ac maiorem quidem partem e Gellio transcripsit, qui N. A. X 11 primi Aeneidis libri versum illum non spectans *mature* quid significet exponit et deinde Georg. I 259 sqq. explicat. at quae decima continentur paragrapto ‘sic ergo et Vergilius inducit Neptunum discessum ventis imperantem ut et tam cito discedant tamquam fugiant, et tamen flandi mediocritatem in regressu teneant tamquam *mature* i. e. temperate abeuntes. veretur enim ne in ipso discessu classi noceant, dum raptu nimio tamquam per fugam redeunt’ Gellius non habet: quae nisi omnia me fallunt petuit Macrobius a scholiasta aliquo, qui de verbis illis explicandis non dissentiebat a Servio, cuius haec est adnotatio ‘*maturate fugam*] cum maturitate i. e. cum tranquillitate discedite, quo modo dicimus *matura iracundiam tuam* i. e. mitiga; perniciosum enim Troianis esset, (sic scripsi e conjectura) si maturarent (sic Reg. et Voss. Burmanni, *maturent* Bern. 363 et editi) fugam h. e. accelerarent (*si accelerarent* Voss. et Reg., *accelerent* Bern.). Burmannus qui *nisi maturent* et *nisi accelerent* scribi iussit non est audiendus; nam Macrobii verbis comparatis hanc esse Servii sententiam docemur: poeta enim si maturandi verbo ita esset usus ut idem significaret quod accelerare, perniciosa dixisset ventorum fugam futuram esse Troianis, quos servare volebat Neptunus. quae a Gellio mutuatus est Macrobius de eo quem laudavi supra Georgicorum versu explicando, ea non est quod Servio cognita fuisse dicamus; at inspecta esse Gelli capitula quae sunt X 11 et XVI 14 ab eo cui debentur quae ad Georg. I 260 Daniel e Leidensi edidit, inde facile conieceris, quod Gellium ille inter auctores suos nominavit. neque tamen certa ea conjectura. etenim interpolator cum verba Catonis, quae Gellius servavit, interpretamentis receptis corrupta habeat (conferantur quae Gellius laudavit ‘qui multa simul incipit neque perficit, is festinat’ cum interpolatoris testimonio ‘Cato dicit.... festinare autem illos qui multa incipiunt eaque adnectendo nec terminando praepediant), cum Gellio tribuat quae eius non sunt et Nigidio det quae Gelli esse scimus, mihi quidem probabile videtur non tam ipsius Gelli librum ad manum eum habuisse, quam scholiastae ali-

cuius qui Gellio non satis accurate usus erat disputationem. cuius sententiae probabilitatem ne quis eo dicat infringi, quod Auli Gellii auctoritas ad Aen. VII 740 quoque, ubi Nolae urbis nomen Georg. II 213 a poeta e carmine suo derasum esse narratur, ad partes vocata sit, id additamentum non e Parisino 7929 sed e libris noviciis, quales sunt Bononiensis bybl. S. Salvatoris 90 et Parisinus 7965 (cf. nov. mus. rhen. XIV p. 548) petitum esse moneo. ad Aen. IV 390 et VIII 638 non Aulus Gellius, sed Cn. Gellius annalium scriptor nominatus est. ubi praeterea interpolatoris verba a Petro Daniele edita cum Gellianis consentiunt neque nominatus est Gellius, ibi, cum et interpolatorem et Gellium antiquioribus Vergilii scholiastis usum esse sciamus, ex eodem utrumque fonte hausisse probabile est; conspirant autem inter se additamentum ad Aen. I 636 et Gell. IX 14, 9, ad Aen. II 436 et Gell. IX 12, 17, ad Aen. IV 327 et Gell. XII 14, ad Aen. VI 15 et Gell. VII 6, 7 sq., ad Aen. VIII 682 et Gell. XVI 16.

Sat. VI 8, 14—23 Servius ab eodem Avieno de Aen. VI 273 interrogatus de *vestibulum* vocis vi et repetit quae Gellius XVI 5 exposuit et alia quaedam addit, quae unde petita sint nescio. Servius ipse et ad versum de quo agitur et ad Aen. II 469 vestibulum dictum esse docet vel quod ianuam vestiat, vel quoniam Vestae consecratum sit, vel ab eo quod nemo illic stet quasi non stabulum, ut vesanus sit idem quod non sanus. inter quas originationes non est illa quam Gellius Sulpicius Apollinarem secutus probat, ut *ve* syllaba intentionem significet. eorum autem sententiam qui *ve* syllaba diminutionem quandam significari statuunt, quam Servius his verbis expressit ad Aen. VI 273 ‘alii dicunt ab eo quod nullus illic stet, in limine enim solus est *transitus*’ Macrobius quoque commemoravit, cuius haec verba sunt ‘alii consentientes vestibula eadem esse quae diximus in sensu tamen vocabuli dissentunt: referunt enim non ad eos qui adveniunt, sed ad illos qui in domo commandant, quoniam illic numquam consistunt, sed solius *transitus* causa ad hunc locum veniunt exeundo sive redeundo.’ cum non solum de re quae tractatur consentiant inter se Servius et Macrobius, sed duo etiam vocabula quae sunt *solus* et *transitus* communia habeant, eodem auctore usi esse videntur, quem a Macrobio appetat accuratius exscriptum esse quam a Servio. interpolator Servii de vestibulo nusquam quod sciam dixit.

Sat. VI 9, 1—7 e Gellio (XVI 6) deprompta sunt neque quidquam his additum a Macrobio. Servius ipse de *bidens* vocabulo ad Aen. IV 57 (cf. ad

VI 39) ita disputat, ut eadem fere doceat, quae Gellius, qui et commentarios quosdam ad ius pontificium pertinentes et Iulii Hygini librum quartum de Vergilio excrispit. quamquam nihil est quod Servium haec praecepta, quae facile aliunde poterat cognoscere, e Gellii libro petiisse dicamus. interpolator Servii de bidentibus nihil habet.

Restat ut alteram quoque noni capitinis partem Gellio (N. A. XVIII 5) Macrobiū debere dicamus. agitur autem de versu qui est Georgicorum III 116, ad quem Servius satis habuit adnotasse *'equitem]* i. e. equum, nam pro equo rectorem posuit.

Ut breviter comprehendam quid hac commentationis meae parte demonstrari voluerim, cum eorum quae Macrobius Servium dicentem fecit, paucissimis exceptis adnotatiunculis, partim desint in ipsius Servii commentariis, partim dissentiant a Servii praeceptis, partim Gellio debeantur a Maerobio, ne cognita quidem fuisse Servii commenta Saturnaliorum scriptori non dubito pronuntiare. deinde ubi Servii interpolator cum Gellio et Macrobio consentiat, Macrobio eum non esse usum pro certo est, Gellio num usus sit admodum incertum, cum non uno nomine probabile sit, eum aut ex eodem quem Gellius habebat fonte aut ex scholiastae alicuius qui Gellii copiis usus erat libro sua hausisse. denique si quid consensus inter Servium ipsum et Gellium vel Macrobium deprehendimus id inde repetendum, quod ea quae Servius dixit ad eundem fontem redeunt e quo sua illi petiverunt.

II.

Ut eorum quae extremis tribus sexti Saturnaliorum libri capitibus continentur haud exiguum partem apud Servii interpolatorem quoque legi vidimus, ita in eiusdem adnotationibus haud pauca invenimus quae cum tertio Macrobii libro consentiant: quo quidem consensu maxime motus est Ribbeckius, ut pleniore Servio Macrobium usum esse diceret. itaque comparandus Macrobius et cum Servio et cum interpolatore, et quaerendum, utrum Servium secutus sit necne, et utrum interpolator e Macrobio an ex eodem ex quo Macrobius fonte sua hauserit.

Atque in primo tertii libri capite, eius initium interiit (cf. Iani prolegg. p. XVIII sq.) Vettius Praetextatus exemplis ex Aeneidis carmine prolatis pri-

mum ostendit, Aeneam superis diis non sacrificare nisi antea fluminis aqua se abluerit, deinde cum inferis litandum sit satis actum videri docet, si quis aqua se asperserit. idem a Servio ipso ad duos Aeneidos versus adnotatum est. ad Aen. IV 635 '*spargere lympha*' sacrificantes diis inferis aspergebantur aqua, ut (VI 230) *spargens rore levi et ramo felicis olvae*, superis abluebantur, ut (II 719) *donec me flumine vivo abluero*. modo autem inferis sacrificat, ut (IV 638) *sacra Iovi Stygio* et ad VI 230 '*spargens*' quia res aguntur infernae. in secundo Aeneas deos portaturus ait *donec me flumine vivo abluero*. hic enim erat mos, ut diximus supra. ad ipsa Aen. II 719 verba de hoc more nihil dixit Servius, ut *supra* illud ad IV 635 referam. de lege autem de qua et apud Macrobius et apud Servium agitur ne potuisse quidem esse dissensionem facile concedetur. itaque cum verba quibus Macrobius et Vergilii scholiasta utuntur nihil habeant inter se similitudinis, non est quod Servio Macrobius usum esse dicamus.

In capite secundo Praetextatus inducitur docens diligentissime ubique Vergilium cum omnium tum sacrificialium in primis verborum proprietatem observasse. primum disputat de Aeneidis versu qui est V 238 *extaque salsos porriciam in fluctus*, ubi iam ab antiquis criticis dubitatum est utrum *proiciam* an *porriciam* Vergilius scripserit. ac Praetextatus quidem vel potius is quem Macrobius excripsit *porriciam* a Vergilio profectum esse putat, cum Veranio teste exta porrificantur i. e. dentur 'in altaria aramve focumve eove quo exta dari debeant,' ut hoc loco mare pro ara et foco accipendum sit. aliter sensit Servius, qui *proiciam* Vergilium scripsisse tradidit, quod exta proicerentur in fluctus, aris porricerentur. neque tamen Servius alteram scripturam ignorabat, addit enim 'nisi forte dicamus etiam fluctibus offerri. quod si est, *porriciam* legendum.' Servii auctoritatem Macrobius non esse secutum in hac iudicii diversitate nemo non pro certo habebit, sed probabile videtur Servio eum Vergilii interpretem quem Macrobius transcripsit non ignotum fuisse. ceterum quae ad porriendi verbi vim explicandam ab interpolatore adiecta sunt [i. e. *porro iaciam*] e Festo Pauli p. 219 M. petita videntur.

Sat. III 2, 6 exponitur *voti reum* dici qui suscepto voto se numinibus obliget, damnatum autem qui promissa iam solvat, de qua re Eustathius in prima tertii libri parte quae nunc deperdita est docte disputaverat, ut hoc loco Praetextatus tantum summam eius disputationis repetuisse videatur. e scholiis nostris quae Servio vulgo tribuuntur ea quae infra posui ad hanc quaestionem

pertinent: ad Aen. V 237 [*voti reus*] debitor, unde vota solventes dicimus absolutos. inde est Ecl. V 80 *damnabis tu quoque votis* i. e. quasi reos facies' (verba quae sunt 'inde est — facies' Burmannus non debebat uncis includere, nam Servii sunt.) ad Aen. IV 699 ['potest accipi *Stygioque caput damnaverat Orco*, ut Didonem voto liberaret, quod semper omnes optant ut sine cruciatus moriantur, nam subiunxit *hunc ego Diti sacrum iussa fero teque isto corpore solvo* i. e. libero, vel illud ab Orco (sic editio Danielis, scribendum fortasse 'vel illud caput voto') nondum liberaverat, cum illa devotum crinem adhuc retinens inter reos esset. ergo cuiuscumque debiti i. e. reatus damnatio finem facit. *damnare* autem est damno afficere i. e. debito liberare. ideo et cum vota suscipimus rei voti dicimur donec consequamur beneficium et donec condemnemur i. e. promissa solvamus, ut *damnabis tu quoque votis*. et bene poeta non ait illam damnaverat, sed caput ipsum unde crinis fuerat auferendus.] ad Ecl. V 80 [*damnabis tu quoque votis*] i. e. cum deus praestare aliqua hominibus cooperis obnoxios tibi eos facies ad vota solvenda, quae antequam solvantur obligatos et quasi damnatos homines tenent' quae his addita sunt in editionibus 'alii *damnabis* alligabis vel absolves, utrumque enim sensum habet verbum damno; vel *damnabis* reos voti facies' non sunt petita e Danielis codice Lemovicensi. in his scholiis cum librorum memoria Servii esse testetur ea quae ad Aen. V 237 et Ecl. V 80 adnotata sunt, Servium recte statuemus docuisse, eum qui votum suscepit et voti reum et voti damnatum dici, contra qui votum solvat voti absolutum, itaque Macrobius reus voti qui dicatur eodem modo explicare quo Servium, aliter vero sentire de damnatus participii significacione. quae ad Aen. IV 699 Petrus Daniel e libro suo quem Bernensem 172 esse conicio edidit, quoniam consentiunt cum Praetextati praecceptis, ea usui fore suspicor si quis deperditam Eustathii de hac re disputationem velit reconcinare; nam Servii interpolatorem et Macrobius saepe ex eisdem fontibus sua deproprompsisse videbimus.

Sat. III 2, 7 sqq. Praetextatus dicit eum qui deos preceperit non exaudiiri nisi aram tangat. inde Varro rer. divinar. V docuisse, aras primum asas dictas, quod teneri eas a precantibus necessarium esset. ansis autem teneri solere vasa. commutatione ergo litterarum aras dici coepitas, ut Valesios et Fusios dictos prius nunc Valerios et Furios dici. eadem fere leguntur apud Servii interpolatorem qui ad Aen. IV 219 haec habet '*arasque tenentem*] veteres asas dicebant, postea immutata littera s in r aras dixerunt sicut Valesios

Valerios, Fusios Furios. quod Varro libro quinto rerum divinarum plenius narrat. necesse enim erat aras (omittit hanc vocem Danielis editio) a sacrificantibus teneri, quod si non fieret, diis sacrificatio grata non esset. quod plenius intellegi voluit, gratum hoc esse numinibus, subiungendo *arasque tenentem audiit omnipotens.*¹⁾ aliter de arae nomine derivando Servius indicavit,¹⁾ qui ad Aen. II 515 postquam dixit aras inferorum tantum esse haec adnotavit 'ara autem dicitur a precibus quas Graeci ἀράς dicunt, unde contra imprecatio ζατάρα dicitur.' itaque de arae vocis originatione Servium dissentire videmus a Macrobio, qui Varronem sequitur. interpolatorem autem Servii Macrobi librum ad manum habuisse non est quidem quod negetur, neque tamen quemquam proferre posse puto quibus eandem utrumque auctoritatem secutum esse contendens refellar. ceterum inepte verba quae sunt 'necesse enim — non esset' in editionibus Varroni tributa sunt.

Sat. III 2, 10—16 vitulari idem esse quod voce laetari vel Graecorum παιανίζειν, et Vitulam vocari deam quae laetitiae praesit, Praetextatus veterum scriptorum placita repetens exponit, ut recte intellegantur Vergilii versus qui sunt Aen. VI 657 et Ecl. III 77. e quibus nihil protulit Servius qui ad Aeneidis versum adnotavit '[Paeana canentes] proprie Apollinis laudes, quod nunc congruit propter lauri nemus, abusive omnium deorum. sicut orgia proprie Liberi, abusive omnium deorum sacra.' et ad Ecl. III 77 '[cum faciam vitula] cum sacrificavero. et figurate faciam vitula ait, ut faciam thure, ut faciam agna. Horatius seu poscat agna sive malit haedo. dicitur autem hoc sacrificium ambarvale, quod arva ambiat victima.' si ad tertium Bucolicorum carmen interpolatum haberemus Servii exemplar, ad vers. 77 fortasse eadem legeremus quae apud Maerobium extant. Servio ipsi non debere Macrobius quae de vitulatione et Vitula dea docuit pro certo licet affirmare.

In extremo capite secundo Praetextatus dicit, pontificem ubique a Vergilio Aeneam induci inde quoque cognosci, quod Aen. I 373 haec eius verba sint et vacet annalis nostrorum audire laborum, nam pontificis maximi esse annales conficere, qui inde sint maximi appellati. habet quidem eadem interpolator Servii ad Aen. I 373, sed aliis verbis expressit. postquam enim accurate exposuit qua ratione confici solerent annales maximi — quae non sunt

1) quod ad Aen. VI 124 Servius dixit deos rogasse maiores ararum ansas tenentes, inde non consequitur Varronis de arae vocis origine sententiam eum cognitam habuisse.

apud Macrobius — sic pergit ‘eosque (annuos commentarios) a pontificibus maximis, a quibus fiebant, annales maximos appellarunt, unde quidam ideo dictum ab Aenea *annales* tradunt, quod et ipse religiosus sit et a poeta tum pontifex inducatur.’ Servius ipse inter historias et annales quid sit discriminis ad illum versum explicat nec quidquam dicit de Aenea pontifice, ut Servio non usum esse Macrobius adpareat. interpolator autem eundem quem Macrobius auctorem habuisse videtur, sed plura digna iudicasse quae inde excriberentur, quam Macrobius.

In capite tertio quaerentem facit Macrobius Praetextatum, quid sacrum quid profanum quid sanctum quid religiosum sit et num Vergilius his vocibus ita usus esse videatur, ut proprium earum significatum observaret. ac sacrum quid sit Praetextatus Trebatium secutus explicat quem in primo de religionibus libro dixisse refert, sacrum esse quidquid sit quod deorum habeatur. cuius definitionis memorem Vergilium Praetextatus monet, ubique sacrum aliquid dixerit, cui deo sacrum esset significasse. cum his non inepte comparantur quae Servii interpolator ad Aen. IV 638 habet ‘sacrum est quod ad deos pertinet, profanum quod ad homines’ et ad Aen. VIII 85 ‘sed sciendum, sacrum proprie esse quod ad deos pertinet,’ qui duo versus inter illos apud Macrobius laudati sunt, quibus Vergilius sacer adiectivi vim propriam diligenter observasse videatur. conferantur etiam quae ad Ecl. VII 31, Aen. III 73, Aen. X 419 Daniel e suis codicibus Servianis scholiis addidit. Trebatii verba a Macrobius proleta utrum cognita fuerint interpolatori necne nolo discernere, quamquam si usus esset Macrobius libro accuratius eum Trebatii testimonium transcripturum fuisse puto. apud Servium ipsum nihil inveni, quo Macrobius hoc loco eius commenta inspexisse probaretur: interpretatur enim sacrum ita ut idem id esse dicat quod sacratum alicui deo (cf. ad Aen. VI 484 et XI 719) vel idem quod venerabile aut execrable. (cf. ad Aen. VI 109, I 632, VII 608, VIII 59, III 56, VI 573, VIII 345.)

De profanus adiectivi significatione haec sunt Praetextati verba ‘profanum omnes paene consentiunt id esse quod extra fanaticam causam sit, quasi porro a fano et a religione secretum. cuius significatus exemplum executus est, cum de luco et aditu inferorum sacro utroque loqueretur (Aen. VI 258) *procul, o procul este profani, conclamat vates, totoque absistite luco.* eo accedit quod Trebatius profanum id proprie dici ait quod ex religioso vel sacro in hominum usum proprietatemque conversum est, quod apertissime poeta servavit, cum ait

(Aen. XII 777) *Faune, precor, miserere, inquit, tuque optima ferrum terra tene, colui vestros si semper honores, quos contra Aeneadae bello fecere profanos.* dixerat enim (770) sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum sustulerant, unde ostendit proprie profanatum, quod ex sacro promiscuum humanis actibus commodatum est.³ Servius ipse ad eos versus de quibus explicandis agitur nihil dicit nisi (ad VI 258) *'profani]* qui non estis iniciati.⁴ interpolator autem ad Aen. XII 779 haec habet *'bello fecere profanos]* profanum proprie dicitur quod ex religiosa re in hominum usum convertitur, ut hic plenissime ostenditur. dicens enim Turnus *colui vestros si semper honores, quos contra Aeneadae bello fecere profanos* ostendit (e conjectura inserui) et sibi religiosam fuisse arborem et a Troianis in usum communem fuisse praesumptam (sic Paris. 7929, *consumptam* editiones). nam ex sua persona poeta ait *forte sacer Fauno foliis oleaster amaris hic steterat, nautis olim venerabile lignum et subiunxit sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum sustulerant.* at postea dicendo *bello fecere profanos* docuit profanum esse, quod a religione in usum hominum transiit. sacro profanum contrarium, ut festo profestum, fasto nefastum. ergo non omne quod sacrum non sit profanum, sed quod sacrum fuerit et desierit.⁵ cf. ad Ecl. VII 31 extr. quamvis magna sit inter Macrobii et interpolatoris verba similitudo, tamen neque Macrobium ab interpolatore, neque interpolatorem a Macrobo transcriptum esse dixerim. etenim si Macrobius interpolatoris scholion habuisse ne ipse quidem nominasset Trebatium; Macrobio autem sua debere interpolatorem ideo non est probabile, quod huius disputatio illa et plenior est multo et elegantior. quod cum ita sit ex eodem utrumque fonte hausisse non dubito statuere; cuius quidem fontis sinceritatem magis servasse dico interpolatorem, nisi quod Trebatii nomen omiserit.

Ea quoque quae III 3, 5 sqq. Praetextatus dicit integra repetenda esse duco. *'sanctum est, ut idem Trebatius libro decimo Religionum refert, interdum idem quod sacrum idemque quod religiosum, interdum aliud, hoc est nec sacrum nec religiosum, est. quod ad secundam speciem pertinet (Aen. XII 648) sancta ad vos anima atque istius inscia culpare descendam.* non enim sacro aut religioso eius anima tenebatur, quam sanctam, hoc est incorruptam, voluit ostendere, ut in illo quoque (Aen. XI 158) *tuque, o sanctissima coniunx, felix morte tua.* in quo castitatis honorem incorruptae uxoris amplexus est: unde et sanctae leges quae non debeant poenae sanctione corrumpi. quod autem ad priorem speciei definitionem de sancto attinet, id est ut non aliud sit quam

sacrum aut religiosum: (Aen. II 682) *ecce levis summo de vertice visus Iuli fundere lumen apex et paulo post nos pavidi trepidare metu crinemque flagrantem excutere et sanctos restinguere fontibus ignes.* hic enim sanctos ac si sacros accipiemus, quia divinitus contigerunt. item (Aen. VI 65) *tuque, o sanctissima rales praescia venturi non aliud nisi sacram vocat, quam videlicet vatem et deo plenam et sacerdotem?* ad Aen. XII 648, XI 158, VI 65 Servius ipse nihil adnotavit, Aen. II 686 si Burmanni libris fides est *sacros* legit. ex interpolatoris scholiis ad hanc quaestionem pertinent quae infra scripsi. ad Aen. XII 648 '*sancta ad vos anima*] quae differentia sancti sit superius dictum est; hic sancta incorrupta accipiendum est, neque enim sacro aut religioso eius anima tenebatur.' ad Aen. XI 158 '*tuque o sanctissima coniunx*] sanctum non semper sacrum neque religiosum est, ut hic ubi sanctissima incorruptae castitatis significat, unde et sanctae leges appellantur, quae neque corruptae sunt neque corrumpi possunt.' ad Aen. II 686 '*sane sanctum est interdum non idem quod sacrum, neque idem quod religiosum, interdum non aliud quam sacrum.*' hic ergo sanctos sacros accipiemus, quippe quo loco auspicia fiant (*fierent Daniel*), sicut ex Anchise persona ostenditur cum dicit *oculos ad sidera lactus extulit et da deinde augurium, pater, atque haec omnia firma.*' his quoque locis Servii interpolatorem, etiamsi quae simillima sint Macrobianis proferat, Saturnalibus usum esse confidenter nego. nam et sanctae leges quae dicerentur et Aen. II 686 *sancti ignes* cur eidem essent qui sacri, aliter explicuit quam Praetextatus apud Macrobius. Macrobius autem interpolatoris scholion ignotum fuisse eo demonstratur, quod hic Trebatium non nominatim laudavit. eundem uterque auctorem habuisse videntur, cuius pleniorum de versibus illis disputationem in brevius contrahentes non eadem in suas chartas transcripserunt, sed quod quisque ad poetae verba intellegenda aptum esse iudicabat.

Sat. III 3, 8 sq. Vergilius num Aen. VIII 579 *religio* vocis proprietatem expresserit quaeritur. laudatur primum a Praetextato Servii Sulpicii sententia, qui tradidit 'religionem esse dictam quae propter sanctitatem aliquam remota ac seposita a nobis esset, quasi a relinquendo dicta ut a carendo caerimonia.' videntur haec verba esse Servii Sulpicii, cui Rufo cognomen erat, hominis et iuris peritissimi et eloquentissimi, quem a Cicerone magni aestimatum esse scimus. (conferantur quae Piderit in indice ad Ciceronis Brutum de eo congessit.) Gellius autem N. A. IV 9, 8 cum Masurius Sabinum sententiae illius auctorem laudet, Meursius aut in Gellio aut in Macrobius mendum

inesse coniecit. sed haud scio an dissensio illa quae est inter Gellii et Macrobius testimonia sic probabiliter expediatur, ut Masurius Sabinus Servium Sulpicium excrispsisse neque nominasse dicatur, quo factum esse suspicor ut ipsius Masurii verba Gellius laudare sibi videretur. contra is quem Macrobius secutus est aut ipsius Sulpicii librum ad manum habebat aut eius hominis testimonio utebatur, qui religio vocem a Sulpicio ita explicatam esse rettulit. verum utcumque haec res sese habet neque a Servio ipso neque ab interpolatore Sulpicii de religionis voce sententiam ad Vergilii versus qui sunt Aen. VIII 597 sqq. interpretandos adhibitam videmus. contra quae III 3, 10—12 dicta sunt in iis redeunt quae interpolator Servianis scholiis ad Georg. I 269 sq. addidit. primum quod Pompei Festi (p. 289 M.) adfertur a Praetextato testimonium ‘religiosi sunt qui facienda et vitanda discernunt’ id multo accuratius ab interpolatore servatum est ‘religiosi enim esse dicuntur qui faciendarum praetermittendarumque (*praemittendarumque* Leidensis) rerum divinarum secundum morem civitatis delectum habent nec se superstitionibus implicant’ deinde Praetextatus *rivos deducere* nihil aliud esse dicit quam detergere. ‘nam’ inquit ‘festis diebus rivos veteres sordidatos detergere licet, novos fodere non licet.’ Servius ipse *deducere* aliter explicavit his verbis ‘*deducere*] i. e. siccare, nam inrigare inducere est’ et ad 272 ‘de irrigatione vero nihil ad hunc pertinet locum, quia *deducere* ut diximus siccare significat.’ at interpolator ad versum qui est 272 eandem quidem quam Praetextatus sententiam protulit, sed multo copiosius multoque doctius disputavit, haec enim eius verba ‘sed qui disciplinas pontificum interius agnoverunt die (*a die* Leidensis) festo sine piaculo dicunt posse fieri quae supra terram sunt, vel quae omissa nocent, vel quae ad honorem deorum pertinent, et quidquid fieri sine institutione novi operis potest, ut rivorum inductionem sic accipiamus, per fossam vel pratum purgatum deducere i. e. emittere, quoniam cautum in libris sacris est: feriis denicalibus (*denegalibus* Leidensis) aquam in pratum ducere nisi legitimam non licet, ceteris feriis omnes aquas licet deducere. ergo hic, ut aliquibus videtur, *deducere* purgare est et sordes emittere quae praeccludant aquam, ideoque a pontificibus ut novum fieri non permittitur feriis, ita vetus purgari permittitur. alii hoc secundum augurale ius (*cuius* Leidensis) dictum tradunt, quod etiam in bello observetur, ne novum negotium incipiatur. ergo rivos deducere non est novum negotium et potest hoc ad illud referri (113) *quique paludis collectum humorem bibula deducit arena.* sane quae feriae a quo genere hominum vel quibus diebus observentur, vel

quae festis diebus fieri permissa sint, si quis scire desideret libros pontificales legat.' quod 11 et 12 Praetextatus in transcurso notavit, diebus festis licere oves lavare scabiei curandae causa, non licere ut lana purgetur (cf. Sat. I 16, 12) neque apud Servium neque apud interpolatorem legitur. quoniam quae 8—10 apud Macrobius Praetextatus disputat, etsi non ad unum tantum Vergilius versum enarrandum pertineant, cohaerent tamen inter se arctissime, omnia ex eodem fonte petita esse conicio. qui non fuit Servii commentarius, sed eius grammatici expositio, quam interpolator quoque transcripsit, qui omisit quidem Servii Sulpicij testimonium, reliqua vero minus circumcidit quam Macrobius.

In capite quarto exponit Praetextatus Varronis testimoniis laudatis delubrum quid sit et ita semper Vergilium ea voce usum esse, ut Varronis placitis obsequeretur. ac refert Praetextatus Varronem rerum divinarum libro octavo (sesto haec tribuenda esse Merkelius prolegg. ad Ovid. Fast. p. 123 haud improbabiliter coniecit) dicere 'delubrum alios aestimare in quo praeter aedem sit area adsumpta deum causa, ut in circu Flaminio Iovis Statoris: alios in quo loco dei simulachrum dedicatum sit' et adiecisse 'sicut locum in quo figerent candelam candelabrum appellatum, ita in quo deum ponerent nominatum delubrum.' quarum sententiarum alteram Praetextatus dicit Vergilium secutum esse Aen. II 225 et 248, ut aut proprie deorum nomina aut quae dis accommodarentur insereret et simulachrum nominaret. Servium ante omnia monendum est haec Varronis praecepta non habuisse cognita. aut enim delubrum dici ait (ad Aen. II 225) quod uno tecto plura complectatur numina, quia uno tecto diluatur (fortasse *deluatur*) ut Capitolium in quo sint Minerva Iuppiter Iuno, aut locum ante templum ubi aqua currat, a diluendo (fortasse *deluendo*): quarum explicationum altera in Cassellano et Fuldensi qui nunc Parisinus est 1750 Cincio (*Cinchius Parisinus*) tribuitur. eadem repetit Servius ad Aen. IV 56: quamquam alteram explicationem paulo arctioribus finibus circumscribit cum delubrum dictum esse docet propter lacum in quo manus abluantur, et tertiam addit originationem, a libro i. e. cortice delubrum vocatum esse simulacrum dei e ligno raso factum. haec sunt Servii ipsius, quibus Macrobius non esse usum nemo dubitabit. his autem Servii scholiis e codicibus suis Daniel haud pauca addidit, quae cum Macrobianis mirifice consentiunt. atque ad Aen. II 225 e Fuldensi qui hodie est Cassellanus in usum Petri Danielis Marcus Verserus et Casp. Schoppius haec excipserunt (Cassellani quaternio nonus quo continebantur commenta ad

Aen. II 104—243 interiit) ‘Varro autem rerum divinarum libro XXVII delubrum esse dicit aut ubi plura numina sub uno tecto sunt, ut Capitolium, aut ubi praeter aedem area sit adsumpta deum causa, ut in circu maximo Iovis Statoris (*Iovi Statori* codex, correxi e Macrobio), aut in quo loco dei dicatum sit simulacrum, ut, sicut locum (*sicut locum e coniectura inserui*) in quo figunt candelam candelabrum appellant, sic in quo deum ponant delubrum dicant. ergo hic cum dicit *delubra ad summa dracones* ut esset manifestatum subtexuit dei simulaerum, adiecit enim *saevaeque petunt Tritonidis arcem*; nec praetermisit, quin dei nomen adderet dicens *sub pedibusque deae*, ne sine ratione delubri nomen intulisse videretur. Masurius Sabinus “delubrum effigies a delibratione corticis, nam antiqui felicium arborum ramos cortice detracto in effigies deorum formabant, unde Graeci ἔοντες dicunt.” alii delubrum dicunt templum ab eo quod nulli iunctum aedificio pluvia diluatur? quae priusquam cum Macrobiis verbis accurate comparentur, semidocti alicuius librarii opera factum esse moneo, ut originatio illa, quam priore loco Servius protulit, inter eas repeteretur quas Varro laudavisse traditur. nam Macrobius duas tantum a Varrone de delubri voce sententias commemoratas esse docet, et interpolatorem ipsum *sint pro sunt* (cf. *sit adsumpta* et *dicatum sit*) et *in Capitolio* pro *Capitolium* scripturum fuisse puto. comparantes autem Macrobius cum interpolatore primum non convenire inter eos animadvertisimus, e quo divinarum rerum libro petita sint Varronis testimonia, cum Macrobius octavum nominet, interpolator vicesimum septimum. apud Macrobius quidem ut octavus nominetur pro sexto, in quo de aedibus sacris Varronem dixisse scimus (cf. Macr. Sat. I 8, 1), libriorum neglegentia effectum esse facile concedes. at VI numerum ita corruptum esse ut XXVII evaderet, quem apud interpolatorem habemus, non est probabile. ita potius statuendum videtur, ut XXXI scripsisse dicatur interpolator, qui numerus est sexti rerum divinarum libri, si omnes antiquitatum libri numerantur. suspicor in eo libro, quem et Macrobius et interpolator excipsit, fuisse ‘Varro libro XXXI antiquitatum, qui est VI rerum divinarum,’ unde Macrobius dedit ‘Varro libro sexto rerum divinarum,’ parum accurate interpolator ‘Varro rerum divinarum libro XXXI’ ceterum quod hac ipsa numeri differentia probari omnes intellegunt, neque Macrobius usum esse interpolatore neque interpolatorem Macrobius, sed eundem eos fontem habuisse, id inde quoque probabiliter concluditur, quod, etsi neuter diligenter auctorem illum excipsit, interpolator tamen multo accuratius demonstravit, qua ratione

Vergilius assecutus esset, ut ad Varronis de delubri vocis significatione praeceptum quam proxime se adipicaret: ut ex interpolatoris verbis hoc modo restituens eius quem illi sequebantur disputationem non multum videar a vero aberrare: 'ne sine ratione delubri nomen intulisse videretur, non praetermisit, quin dei nomen adderet dicens *saevaeque petunt Tritonidis arcom*, et ut esset manifestatum dei simulacrum subtexuit *sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur*.' reliquum est ut Masurii Sabini verba ab interpolatore laudata esse moneam, quae non habeat Macrobius. Masurium autem a Verrio Flacco fortasse sua mutuatum esse Pauli glossa comparata probatur, quae haec est (p. 73 M.) 'delubrum dicebant fustem delibratum, hoc est decorticatum, quem venerabantur pro deo.' cf. Pseudo-Asconius in divinationem 3. — quod ad Aen. II 225 ab interpolatore eum quem sequerentur auctorem accuratius transcriptum esse dixi quam a Macrobio id magis etiam pertinet ad ea quae de quarti Aeneidis libri versu 56 enarrando disputaverunt. atque Macrobii quidem verba haec sunt 'illam vero opinionem de area, quam Varro praedixerat, non omisit: *principio delubra adeunt pacemque per aras exquirunt et mox aut ante ora deum pingues spatiatur ad aras.* quid enim est *spatiatur* quam spatio lati itineris obambulat? quod adicio ante aras ostendit aream adsumptam deorum causa. ita suo more velut aliud agendo inplet archana.' interpolatoris verba e Bernensi 172 petiit Petrus Daniel, cuius libri scripturas diligenter enotatas communicavit mecum Hermannus Hagen. eiusdem humanitati debeo, quod Bernensis 165 quoque testimonia adferre possum. cum his autem libris Ambrosianus S. 83 part. sup. (cf. mus. Rhen. XIV p. 542) ita conspirat, ut Bernensem 172 in contextu sequatur, alterius scripturas in margine habeat: qua re Ambrosianum in bybliotheca Petri Danielis scriptum esse, recte me conieciisse probatur (cf. mus. Rhen. I. I.). addidit autem interpolator Servii scholio haec 'sane in secundo libro de singulis speciebus delubri iuxta (secundum Ambr.) Varronem relatum est, in quibus est species delubri talis, ut praeter aedem (*eadem* Bern. 165) area sit adsumpta deum causa i. e. spatia relinquuntur iuxta aras ministerii causa ad sacrificia peragenda. huius moris hic meminisse eum accipere debemus *principio delubra adeunt.* atque (sic Daniel, *ex qua* Bern. 172, *ex qua* Bern. 165, *atqui* Ambr., *ex quo* coni. Hagen) quia *delubra* quasi solum nomen sine (*absque* Bern. 165) dei significatu (*significatione* Bern. 165 et margo Ambrosiani) posuerat, voluit per *aras* expungere (*explere* Bern. 165 et margo Ambrosiani. cf. Oehler ad Tert. de cor. 1) divini nominis

causam, licet in continuatione (*consequentibus* Bern. 165 et margo Ambrosiani) non tam dei fecerit mentionem quam proprie deorum quorundam (om. Bern. 172) nomina intulerit, et quidem cum sacrificeationis gratia (*causa Ambr.*) illis versibus (*dicendo add.* Bern. 165) *legiferae Cereri usque ingalia curae:* nec non (*et add.* Bern. 165) *areae* (coni. Burmannus, *areae libri*) licet oblique attamen manifeste (delendum censem Hagen) meminit (coni. Hagen. *it* Bern. 172, om. Bern. 165 et Ambr.) *aut ante ora deum pingues spatiatur ad aras,* quid enim est *spatiatur* quam spatio lati (*tali Ambr.*) loci obambulat? verba quae secuntur corrupta sunt: Bernensis 172 habet 'adeunt autem proprie dixit, ad maiores enim qui accedit ait soanori (... oneri ... Ambr.) signum,' quae emendanda esse censem Hagen scribendo 'adit. delubrum] ἔσχατον i. e. signum.' cui conjecturae non dubito album calculum adipere. antea suspicatus eram *oraculum* vocem latere in corrupto illo *soanori* et restituendum esse fortasse 'apud maiores enim qui accedit ad deos oraculi petendi causa adire oraculum dicebatur.' cf. Aen. IV 63 sqq. et VII 81 sq.

Sat. III 4, 6 sqq. Macrobius Nigidii et Cornelii Labeonis, Varronis, Cassii Heminae, Hygini de dis penatibus sententias collegit easque a Vergilio diligenter observatas esse docuit. Macrobius verba nolo hoc loco repetere, sed interpolatoris annotationes ad Aen. I 378 et II 269, quibus eadem fere continentur, e Cassellano codice aliquot locis emendatas adponam: ad Aen. I 378 'sane de diis penatibus licet varias opiniones secutus sit Vergilius omnes tamen diversis locis complexus est; nam alii, ut Nigidius et Labeo, deos penates Aeneae Neptunum et Apollinem tradunt, quorum mentio fit *taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo* (cf. interpol. ad A. III 119 et II 325). Varro deos penates quaedam sigilla lignea vel marmorea ab Aenea in Itiam dicit advecta, cuius rei ita Vergilius meminit *effigies sacrae divum Phrygique penates, quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis extuleram.* idem Varro hos deos Dardanum ex Samothracia in Phrygiam, de Phrygia Aeneam in Itiam memorat portavisse (cf. interpol. ad Aen. II 325 et III 148). alii autem, ut Cassius Hemina, dicunt deos penates a Samothracibus (*ex Samothraceis* cod. Cassell.) appellatos θεοὺς μεγάλους (*μεγάλος* cod.), θεοὺς δυνατούς, θεοὺς χρηστούς (*χρηστούς* cod.), quorum diversis locis ita meminit: *natoque penatibus et magnis dis* hoc est θεοὺς μεγάλους (*μεγάλους* cod.) et iterum *Iunonis magnae pri-* *mum. et dominamque potentem τοὺς δυνατούς. et bona Iuno τοὺς χρηστούς.*

ecce ergo diversis locis omnia tria complexus, quae omnia suis locis dicentur.

4 *

ad Aen. II 296 'sed in primo libro dictum, quos deos penates ab Aenea advectos diversorum opinio tradiderit, quod etiam singulis locis, ubi de penatibus varias opiniones poeta secutus dixerit, notatum invenitur. hic ergo quaeritur, utrum Vesta de numero penatium sit, an comes eorum accipiatur, quod cum consules et praetores sive dictator abeunt magistratu Lavini sacra penatibus simul et Vestae faciunt (cf. interpol. ad Aen. III 12), unde Vergilius, cum praemisisset *sacra suosque e. q. s.*, adiecit *et manibus vittas e. q. s.* sed *potentem* potest ad illud accipi θεοὺς δύνατούς, sicut vocari penates dictum est. nonnulli tamen penates esse dixerunt per quos penitus spiramus et corpus habemus et animi rationes possidemus: eos autem esse Iovem aethera medium, Iunonem imum aera cum terra, summum aetheris cacumen Minervam, quos Tarquinius Demarati Corinthii filius, Samothracicis religionibus mystice inbutus, uno templo et sub eodem tecto coniunxit. his addidit et Mercurium sermonum deum.*⁾ hos Vergilius θεοὺς μεγάλους ut *Iunonis magnae primum prece numen adora*, θεοὺς δύνατούς ut *dominamque potentem*, θεοὺς χρηστούς ut *et bona Iuno*, quae propter admonitionem suis locis notata sunt.¹⁾ tria sunt quibus differant inter se haec scholia et Macrobius verba. primum enim quod Varronem docuisse refert interpolator, penates quaedam sigilla linea esse vel marmorea, Macrobius omisit, qui ipse Hygini testimonium, quo θεοὺς πατρόφους penates vocatos esse docemur, solus servavit. deinde Macrobius § 8 fuisse narrat qui dicerent penates esse 'per quos penitus spiraremus, per quos rationem animi possideremus,' interpolator 'per quos penitus spiraremus et corpus habemus et animi rationes possideremus.' et corpora habere homines per penates, ne putaveris de suo addidisse interpolatorem. nam cum tres dei dicantur esse penates, tria consentaneum est ostendi quae iis debeantur: Iovi, medio aetheri, quod spiremus, Iunoni, imo aeri et terrae, quod corpus habeamus, Minervae, summo aetheris cacumini, quod animi rationes possideamus. neque illud negligendum, quod Macrobius § 11 consules praetores dictatores adeuntes magistratum Lavini penatibus simul et Vestae sacra facere tradidit, interpolator abe-

*⁾ verba quae sunt 'his addidit et Mercurium sermonum deum' ipsius interpolatoris esse iudico, nam Mercurio quoque templum Capitolinum dedicatum fuisse non est traditum. cum Servius duobus locis (ad Aen. III 12 et VIII 679) Mercurium in magnorum deorum numero habitum esse dixerit, non dubito quin ad eum verba illa referri voluerit interpolator, qui Servium, cuius commentarios amplificaret, non putabat opus esse nominari.

untes magistratu; quamquam proclivis est suspicio eum 'cum.... adeunt magistratum' scripsisse. itaque haec quoque de penatibus testimonia probabiliter videor statuere ex eodem Macrobius et interpolatorem fonte deprompsisse, ex antiquioris eiusdam interpretis dico commentario, qui uno loco veterum scriptorum de penatibus dis sententias comprehendenterat, ne in singulis Vergilii versibus, quibus penates commemorantur, enarrandis omnes repetendae essent, sed ea sola significanda, quam quoque versu poeta secutus esset (cf. ad Aen. I 378, II 296, III 119). inter Serviana autem commenta quibus penatum mentio fit (ad Aen. III 12, VIII 679, II 514) et Macrobius verba ne minima quidem intercedit similitudo.

III 5, 1—4 agitur de hostiarum generibus, quae Trebatius libro primo de religionibus duo esse docuerit: unum in quo voluntas dei per exta disqueretur, alterum in quo sola anima deo sacraretur. deinde quibus versibus hanc Trebatii sententiam Vergilius secutus sit ostenditur. animalis hostia quae sit exponit quidem Servius ad Aen. III 231, sed ita ut a Trebatii praecepto dissentiat; dicit enim animalem esse hostiam quae tantum immoletur. reliquorum quae sunt apud Macrobius ne levissimum quidem vestigium in ipsis Servii commentariis adparet. sed redeunt Macrobius verba apud interpolatorem ad Aen. IV 56 et II 118; quamquam is neque Trebatium nominavit et quae Macrobius § 3 de persolvendi significatione docuit omisit. quam ob rem Macrobius verba ab interpolatore transcripta esse posset defendi, non potest probari, Macrobius sua debere interpolatori.

III 5, 5 Macrobius hostias quae numquam domitae aut iugo subditae essent iniuges vocatas esse dicit. de hac re neque apud Servium ipsum, qui ad Aen. VI 38 *intactus* per *indomitus* explicuisse satis habet, neque apud interpolatorem quidquam legitur. illud quoque quod § 6 Macrobius dicit Veranium in quaestionibus pontificalibus protulisse, *eximius* adiectivum Georg. IV 538 et 550 non esse poeticum ἐπιθετον sed sacerdotiale nomen, et in Servii commentario et in Danielis additamentis desideratur: quae res inde fortasse explicanda, quod in Georg. I 279, ut supra dixi, desinit codex Lemovicensis.

III 5, 7 exponit Macrobius quae sit ambarvalis hostia Pompei Festi auctoritatem laudans: eius hostiae mentionem fecisse Vergilium Ecl. V 74 sq. ad hunc versum enarrandum Servius nihil adnotavit nisi similem esse Ecl. III 77 *cum faciam vitula pro frugibus*, ad quem haec habemus adnotata 'dicitur autem hoc sacrificium ambarvale, quod arva ambiat victima. hinc et ipse in

Georgicis (I 345) *terque novas circum felix eat hostia frugis?* Servio Macrobius non esse usum certum est, cum ille neque Pompeium Festum laudet auctorem neque ad Ecl. V 74 ambarvale sacrificium quod sit explicit, sed ad III 77. contra quod interpolator Serviano scholio ad Ecl. V 75 addidit *'lustrare hic circumire, dicitur enim ambarvale sacrificium'* id aut ex ipsius Macrobius aut ex eius quem Macrobius excripsit libro potest petitum esse.

III 5, 8 Macrobius sacrificantes aestimasse refert, hostiam quae vehe-
menter reluctaretur deo invito sacrificari, quae stetisset oblata bene volenti
dari: ideo dixisse Vergilium Georg. II 395 *et ductus cornu stabit sacer hircus*
ad aras et Aen. IX 627 et statuam ante aras aurata fronte iuvencum. ad hos
versus enarrandos Servium non potuisse non idem proferre quod Macrobium,
consentaneum est, sed verba Servii diversa sunt a Macrobianis. interpolator
autem quod adderet scholiis Servianis neque habuit neque potuit habere.

III 5, 9—11 Mezentium docet Praetextatus divum contemptorem dictum
esse a Vergilio Aen. VII 648 quod divinos honores sibi exegerit: cuius rei
testis producitur Cato, qui in primo Originum libro narravit, Mezentium Ru-
tulis imperasse, ut sibi offerrent quas dis primitias offerre solerent. deinde
Aspri sententia refutatur, qui ideo poetam Mezentio probrosum illud cognomen
indidisse putaverit, quod *'sine respectu deorum in homines impius fuerit'* interpolator
nusquam quod sciam de Mezentio loquitur, Servium autem Aspri sen-
tentiam magis probasse quam illam, quae a Macrobio praefertur, haec ostendunt
eius scholia: ad Aen. VIII 7 [*'contemptorque deum Mezentius'*] quis enim
iustius quam sacrilegus contra pios et praepararet bellum et gereret, ad Aen.
VII 647 *'non mirum si et contemptor divum et sacrilegus Mezentius contra*
piam gentem prior arma corripuit.'

III 6, 1—5 ad Aen. III 85 sqq. versus recte intellegendos Macrobius
docet Vergilium non Romanorum solum sacrorum, sed externorum etiam peri-
tissimum se praestitisse, qui non ignoraverit, Deli aram fuisse Apollinis, ad
quam hostia non caederetur, sed deum sollemni prece venerarentur: cuius
memoriae auctores laudantur Cloatius Verus ordinatorum libro secundo et
Varro Cato de liberis educandis (cf. A. Riese Varronis sat. Men. rel. p. 249).
quod v. 118 Vergilius narraverit, Aeneam taurum immolasse Apollini et Nep-
tuno, id non posse non apud aliam aram factum esse. eadem fere habet inter-
polator ad Aen. III 85, cuius haec verba sunt *'quaeritur etiam eur Aeneas*
cum Delum venisset nullis prius hostiis caesis statim a precibus cooperit: quia

tradunt multi, inter quos et Varro, esse aras tam Apollinis quam filii eius non tantum Deli sed in plurimis locis, apud quos hostiae non caedantur, sed consuetudo sit deum sollemitate precum venerari. quod autem ait Neptuno et Apollini tauris postea sacrificatum, apud alias aras hoc factum accipi oportet.' magna est inter verba etiam Macrobi et interpolatoris similitudo. tamen cum interpolatoris scholium ita incipiat, ut *quaeri* dicatur, cur Aeneas cum Delum venerit nullis prius hostiis caesis statim a precibus coeperit, quam incipiendi rationem frequentatam esse scimus ab antiquis Vergilii interpretibus, et cum interpolator non Apollinis solius sed etiam filii eius, neque Deli tantum sed in plurimis locis eius modi aras fuisse doceat, non dubito quin non e Macrobi libro sed ex eodem quem Macrobius sequebatur auctore sua deprompsit. ceterum quod satis eleganter scripta est interpolatoris adnotatio accuratius quam alias hoc loco eum auctoris sui verba transcripsisse conicio. — Servius ipse de ara illa Apollinis nihil dixit.

III 6, 6—8 Aen. III 84 cur templum Apollinis in Delo insula *saxo vetusto* structum esse dicatur explicatur; Velius Longus qui epitheta mutata esse dixit redarguitur; Epaphi verba adferuntur, qui Thucydidis testimonio (II 8) usus Delum numquam motam esse docuit. eadem ad verbum fere redunt apud interpolatorem, cuius scholium infra scripsi aliquot locis emendatum. 'sane quaeritur, cur saxum vetustum dixerit. sed traditur a plurimis, inter quos etiam Epaphus vir peritissimus refert, Delphis quodam tempore evenisse, ut templum religiosum ante et intactum spoliatum incensumque sit, ac post multas Corinthii (fortasse *agri Corinthii*) urbes insulasque proximas (*singulosque proximos* Danielis editio) terrae motu haustas: Delon neque antea neque postea hoc incommodo vexatam sicut Thucydides (*Tuthrodes* Danielis edit.) refert (*refert* inserui, om. Daniel), quod etiam Cicero in praetura Verrinarum ita ait (act. sec. i. Verr. I 18) *tantaque vis huius religionis est et semper fuit, ut ne Persae quidem, cum bellum toti Graeciae (totae Asiae Dan. ed.) diis hominibusque indixissent et mille navium classem Delum appulissent, quicquam conarentur aut violare aut attingere.* non mirum ergo, si aut ad sua (sua add. Burmannus) tempora poeta respondit aut ad pristina, quod dixit *templa dei saxo structa vetusto* (*quod — vetusto* inserui), utpote quod religio, numquam omnino vexata, in (*in* inserui) illo suo antiquo et vetusto saxo colebatur.' ut verbis extremis quae insit sententia intellegatur, interpolatorem moneo *si aut — aut* dixisse pro *sive — sive*, et *religio* voce usum esse, ut *fanum* significaret.

cum Ciceronis enuntiatum illud a Macrobius non sit laudatum neque extrema interpolatoris verba conspirent cum his Macrobiis 'non mirum ergo si praesidio religionis tutam insulam semper ostendens ad reverentiam sibi locorum accessisse dicit continuam saxi eiusdem i. e. insulae firmitatem,' hoc quoque loco neque Macrobius ab interpolatore pendere neque interpolatorem a Macrobius certum esse videtur. neglegentissime autem interpolator in verbis auctoris sui in breve contrahendis versatus est. in ipsis Servii commentariis de vetusto illo Apollinis templo Deliaco nihil dictum est.

III 6, 9—11 quid sit quod Herculem *victorem* appellaverit Vergilius Aen. VIII 365 exponitur Varronis (rer. div. lib. IV) et Masurii Sabini (memorab. lib. II) testimoniosis prolatis, quorum ille Herculem victorem dictum esse existimavit 'quod omne genus animalium vicisset,' hic tradidit, Marcum Octavianum Hersenum mercatorem, quo gratiam referret Herculi, cuius ope praedones sibi insidiantes vicisset, Herculii victori aedem in foro boario sacrasse. eadem fere habemus apud interpolatorem ad Aen. VIII 363 'Varro enim lib. IV divinarum victorem Herculem putat dictum, quod omne genus animalium decies (sic Daniel, *dicens* Paris. 7929, om. Macrobius) vicerit. sed Romae victoris Herculis aedes duae (*aedesq.* Paris.) sunt, una ad portam trigeminam, altera (*alia* Paris.) ad forum boarium, cuius commenti causa haec exponitur: Marcus Octavius Hersennus (*Herrenus* optimi Iani codices) in prima adulescentia tibicen postquam arti suae diffisus est mercaturam instituit, bene re gesta decimam Herculii diecavit (*profanavit* Macrobius); postea cum navigans hoc idem ageret a praedonibus circumventus fortissime pugnavit et victor recessit, quem in somnis Hercules docuit sua opera servatum, cui Octavius impetrato (*imperato* Paris.) a magistratibus loco aedem cum signo sacravit et victorem incisis litteris appellavit. ergo Vergilium non tantum ad victoram praesentem victorem dixisse, sed occulte perpetuo eius epitheto usum debemus accipere, quippe quem Romae sub hoc nomine sacratum coli videbat, nam supra ait (203) *taurosque* *huc* *victor* *agebat* cum de pugna eius alia loqueretur' (cf. interpolator ad 203 'victor] perpetuo epitheto Herculis usus est, quia omnia animalia vicit, quod in sequentibus plenius dicetur'). ut mittam Masurium ab interprete Vergilii non esse nominatum, Macrobius et interpolatoris expositiones non eo quasi cognationis genere inter se contineri, ut altera ab altera orta sit, ea quoque re probatur quod dissentunt inter se in adhibendis ad Vergilii rationem eruendam Varronis et Masurii testimoniosis, dum modo errasse concedatur Macrobius edi-

tores, qui verba quae sunt 'dedit ergo epitheton deo quo et argumentum veterum victoriarum Herculis et commemoratio novae historiae, quae recenti Romano sacro causam dedit, contineretur' Masurio tribuerint. quae quidem verba Macrobius ipsius esse iudico, ut non Hersennius sed Vergilius victoris epitheton Herculi dedisse dicatur. hoc igitur ita esse si conceditur, Macrobius ab interpolatore dissentire apparet. ille enim victorem Herculem a Vergilio appellatum esse statuit et propter veteres victorias quas deportaverit, quod Varro docuerit, et propter Hersennium eius ope a praedonum insidiis liberatum, interpolator, quod victoris epitheton perpetuum sit Herculis. Servius de Hercule victore non dixit.

Quae Macrobius III 6, 12—14 congesit, ut explicaretur, cur Vergilius Aen. VIII 269 Pinariam domum custodem Herculei sacri dixisset, integra repetenda curavi. 'quidam enim aram maximam, cum vicino conflagraret incendio, liberatam a Pinariis ferunt, et ideo sacri custodem domum Pinariam dixisse Vergilium. Asper *κατὰ διαστολὴν*, inquit, *Potitorum, qui ab Appio Claudio praemio corrupti sacra servis publicis prodiderunt.* sed Veranius Pontificalium eo libro (sic Merkelius proleg. ad Ov. Fast. p. XCVIII) quem fecit de supplicationibus ita ait *Pinariis, qui novissimi comeso prandio venissent, cum iam manus pransores lavarent, praecepisse Herculem, ne quid postea ipsi aut progenies ipsorum ex decima gustarent sacranda sibi, sed ministrandi tantum modo causa, non ad epulas, convenirent: quasi ministros ergo sacri custodes vocari.* ut ipse Vergilius alibi (Aen. XI 836) at *Triviae custos iamdudum in montibus Opis i. e. ministra; nisi forte custodem eam quae se prohibuerit et continuuerit a sacris, ut ipse alibi (Georg. IV 110) et custos furum e. q. s. hic utique custodem prohibitorem avium furumque significat.* tribus igitur modis ab antiquis interpretibus explicatum esse videmus, cur custodes Herculei sacri Vergilius Pinarios dixerit. quarum explicationum quam tertio loco Macrobius commemorat, quae Veranii testimonio innititur, eam Servius quoque probavit, quem sua ab antiquiore poetae interprete, qui cum aliis auctoribus tum Veranii libro uteretur, mutuatum esse conicio; elegantius enim et purius scribendi genus in scholio illo deprehendere videor, quam ut Servio id tribui posse dicam. eundem autem quem Servius scholiastam secutus est Macrobius qui Veranii solius memoriam ex eius copiis deprompsit eidemque Veranio, quem intra annos urbis 664 et 767 floruisse Merkelius l. l. coniecit, Vergiliani versus interpretationem perversissime tribuit: quamquam corrupta sunt fortasse Macrobius verba

in libris manu scriptis et haec ei restituenda 'quasi ministros ergo *sacri custodes* vocavit Vergilius, ut ipse alibi e. q. s.' cf. Servius, qui haec habet 'quod autem dicit *domus Herculei custos Pinaria sacri*, non est contrarium, nam *custos* est ministra, ut in undecimo *at Triviae custos* e. q. s.' alteram *custos* vocis explicationem, quam Aspri esse Macrobii testimonio docemur, Serviano scholio addidit interpolator, cuius cum summam in excerptendo doctissimi interpretis scholio neglegentiam exceperit librariorum etiam in propagandis excerptis inertia, mirum esse non potest quod nisi divinando Aspri sententiam non possumus adsequi. verba autem interpolatoris sic emendanda esse iudico 'quidam tradunt ideo *custos*, quod Potitii sacra publica servis publicis (*suplicis* Paris. 7929) prodiderint, et quamvis tradatur eos (Pinarios intellegit interpolator) ideo ad sacra Herculis non admitti, quod (*ad Paris.*) serius venerint, et ideo *custos*, quoniam nec prandendi (*prodendi* Paris., correxi e Veranii testimonio) habuerint facultatem, et id quamvis religiosum dictum sit (sic emendavi corruptam Parisini memoriam *quasi religioso dictum est*), quod ignorantiae eventus attulerat, tamen habent Ciceronem auctorem, qui in de domo sua Pinarium Nattam appellans sic dicit (LII, 134) *quem ego tamen credo, si est ortus ab illis, quos memoriae (memoria Paris.) proditum est ab ipso Hercule perfuncto laboribus sacra didicisse.* itaque Asprum non solum suam de *custos* vocis vi sententiam protulisse, sed etiam aliorum opiniones Ciceronis auctoritate ad partes vocata redarguisse apparet. obscurissimis autem verbis illis 'et id quamvis religiosum dictum sit quod ignorantiae eventus attulerat' hanc inesse sententiam conicio: et quamvis id religiosum i. e. ab ipso Hercule institutum esse dicatur, (scilicet ne sacris eius interessent) quod inde effectum est, quod neglecto sacri tempore serius advenerunt, tamen Cicero Pinarios ab Hercule ipso sacra eius didicisse testis est. eam quoque cui primum locum Macrobius dedit versus Vergiliani interpretationem interpolator repetit his verbis 'alii *custos Pinaria sacri* dicunt, quod cum ara maxima vicino incendio conflagraret a Pinariis liberata sit, et ideo *custos sacri?* reliqua quae Petrus Daniel Serviano ad Aen. VIII 269 scholio e Parisino addidit, etsi ad cognoscendam fabulae illius de Potitiis et Pinariis circumlatae originem suam utilitatem habeant, cum non pertineant ad Macrobii verba cum interpolatore conferenda, sciens praetermitto.

III 6, 12 Macrobius de Aeneidis versu qui est VIII 176 *gramineoque viros locat ipse sedili* haec dixit 'non vacat quod dixit *sedili*. nam propria observatio est in Herculis sacris epulari sedentes: et Cornelius Balbus εξηγετι-

zōv libro octavo decimo ait *apud aram maximam observatum ne lectisternium fiat.* Servius, qui de versu illo interpretando idem fere docuit, fortasse ex eodem ex quo Macrobius fonte sua deprompsit quae sunt ‘*bene sedili.* nam in templo Herculis lectisternium esse non licebat.’ his in Parisino addita sunt ‘*quamvis apud veteres omnes sedentes vescerentur.*’ — § 17 eiusdem capitinis cur Herculi aperto capite sacrificatum sit exponitur: cuius moris tres causae fuisse dicuntur: ne quis ipsius dei, qui operto capite esset, habitum imitaretur; quia apud aram maximam graeco ritu res divina fieret, ut Varro doceret; quia ara maxima ante adventum Aeneae consecrata esset, qui ritum velandi capitinis inventisset, quod Gavius Bassus traderet. Servius ipse huius moris non fecit mentionem, interpolator contra duobus locis eum commemoravit causasque eius excussum: ad Aen. III 407, ubi haec leguntur ‘*et Herculii in templo suo (aperto capite sacrificatur) quia et ipse capite operto est, vel quia hae arae ante adventum Aeneae a Iunone (sic Daniel, fortasse *Iano*) vel Evandro consecratae sint*’ et ad Aen. VIII 288, ubi haec verba facit ‘*sane quaeritur, cur huic deo aperto (operto Paris. 7929) capite sacrum fiat.* legitur enim in libris antiquioribus ipsius admonitionis his verbis *mihi detecto vertice cuncti sacrificent* (sic scripsi, *sacrificant* Paris.). id faciliter observatio, ne quis (*quis inserui*) in aede Herculis eius habitum imitaretur. signum enim eius operto capite est. constat tamen ante adventum Aeneae in Italiam aram Herculii consecratam, ab Aenea vero morem operiendorum capitum inductum, sicut ait (Aen. III 405) *pupureo adopertus amictu.* cum interpolator neque Varronis sententiam protulerit, neque alterius ritus, de quo agitur, explicationis Gavium Bassum auctorem laudaverit, contra admonitionem Herculis ipsius e libris antiquis petitam solus habeat, similitudo, quae est inter Macrobii et interpolatoris verba, unde profecta sit apte explicatum esse puto, cum ex eodem utrumque fonte sua hauisse dixerim.

III 7, 1 et 2 Macrobius dicit Vergilium eclogae quartae versibus 43 et 44 *ipse sed in pratis aries iam suave rubenti murice, iam croceo mutabit vellera luto* ad Augustum spectasse. tradi enim in libro Etruscorum, si id animal insolito colore fuerit inductum, portendi imperatori rerum omnium felicitatem. cum his conspirant quae interpolator ad v. 1. adnotavit, nisi quod is habet ‘*si hoc animal miro et insolito colore fuerit infectum;*’ infectus autem miro colore aries rectius dicitur quam inductus. itaque hoc loco interpolator eum quem utrumque secutum esse conicio auctorem accuratius transcripsisse videtur,

quam Macrobius, qui illum diligentia superavit cum Tarquitii testimonium ex ostentario Tusco depromptum suo libro inseruit.

III 7, 3 et 4 Macrobius Aeneidis versus qui sunt X 419 sq. his verbis usus interpretatur 'verbis etiam singulis de sacro ritu quam ex alto petita significet, vel hinc licebit advertere: *iniecere manum Parcae telisque sacrarunt Evandri*. nam quicquid destinatum est dis sacrum vocatur: pervenire autem ad deos non potest, nisi libera ab onere corporis fuerit anima, quod nisi morte fieri non potest. ita ergo opportune sacratum Halesum facit, quia erat opportuniturus.' cum his ad verbum fere conspirant quae interpolator ad v. l. adnotavit 'multis experimentis ostenditur, Vergilium subtiliter et aliud agentem ritum vetustissimorum sacrorum referre. hic ergo cum dicit *telisque sacrarunt Evandri* docet, quicquid destinatum diis, id sacrum appellari: perveniri autem ad deos non posse, nisi libera ab onere corporis fuerit anima, quod nisi morte fieri non potest. opportune ergo hic (*his Paris. 7929*) sacratum Halesum loquitur, cum imminebat interitus.' si quis hoc loco aut Macrobius ab interpolatore aut a Macrobio interpolatorem sua mutuatum esse dicat etsi quibus evincam aliter rem se habere, non sint praesto, nolo tamen omittere, in initio scholii illius magis placere quae interpolator dederit, quippe quae Macrobius verbis et planiora sint et latinius scripta, in exitu autem rectius dixisse Macrobius, Vergilium opportune fecisse sacratum Halesum, quam interpolatorem, poetam opportune locutum esse sacratum Halesum. quod § 4 Macrobius de vi manus injectionis exposuit propterea puto ab interpolatore omissum esse, quia Servius ipse habet quae ad intellegenda poetae verba necessaria sunt; haec autem Servii adnotatio '*iniecere manum Parcae*] traxerunt debitum sibi. et sermone usus est iuris. nam manus injectio dicitur, quotiens nulla iudicis auctoritate expectata rem nobis debitam vindicamus.' quae secuntur apud Macrobius §§ 5—8 de conditione eorum hominum, quos leges sacros esse certis diis iubeant, cum non pertineant ad Vergilium interpretandum, mirum esse non potest, quod neque apud Servium neque apud interpolatorem ullum eorum vestigium videtur.

Quod adhuc sat certis argumentis probasse mihi video, Servianis commentariis Macrobius non esse usum id facile quispiam dixerit in dubium revocari miro consensu, qui sit inter Macrobius verba III 8, 1—3 et ipsius Servii ad Aen. II 632 adnotationem. infra et Macrobiiana scripsi et Serviana ita, ut interpolatoris additamenta uncis quadratis includenda curarem, secutus Schoppii

et Verseri codicis Cassellani collationem, cum duodecimus eius libri quaternio, quo commentarius ad Aen. II 602 — III 178 olim continebatur, perditus sit. Macrobi verba haec sunt ‘nonnullorum quae scientissime prolata sunt male enuntiando corrumplimus dignitatem, ut quidam legunt *discedo ac ducente dea flamمام inter et hostes expedior*, cum ille doctissime dixerit *ducente deo non dea*. nam et apud Calvum Aterianus (*Aetherianus vel Aetherianus vel etherianus* Macrobi codices) adfirmat legendum *pollentemque deum Venerem*, non *deam*. signum etiam eius est Cypri barbatum corpore, sed veste muliebri cum sceptro ac natura virili: et putant eandem marem ac feminam esse. Aristophanes eam *Ἄργοδίτην* appellat. Laevinus etiam sic ait *Venerem igitur alnum adorans, sive femina. sive mas est, ita uti alma Noctiluca est*. Philochorus quoque in Attide eandem adfirmat esse lunam et ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili, quod eadem et mas aestimatur et femina,’ Servii haec ‘*ac ducente deo*] secundum eos qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina. nam ait Calvus *pollentemque deum Venerem*, item Vergilius (Aen. VII 498) *nec dextrae erranti deus abfuit* cum aut Iuno fuerit aut Allecto. est etiam in Cypro simulacrum barbatae Veneris [corpore et veste muliebri cum sceptro et natura virili quod *ἄργοδίτην* vocant, cui viri in veste muliebri, mulieres in virili veste sacrificant, quamquam veteres deum pro magno numine dicebant. Sallustius *ut tanta mutatio non sine deo videatur.**) consensum qui est inter Servium et Macrobiū non esse in eam partem accipiendum, ut hic pliores illius commentarios excrispsisse dicatur, Haterianus, clarissimus Vergiliinterp̄s, a Macrobiō nominatus monet. sic potius est statuendum, utrumque sua debere Hateriano, cuius adnotationem doctissimam magis quam Macrobius in breve contraxerit Servius, ut interpolator vel e Macrobiī vel, quod probabilius est, ex ipsius Hateriani libro addendum esse putaverit quae a Servio ipso omissa erant: neglegenter autem in ea re versatus est interpolator, qui Philochori verba a Hateriani verbis non separaret. praeceptum illud quo veteres deum pro magno mumine dixisse docemur, et Sallustii fragmentum unde petita sint nescio; Sallustii verba Donatum quoque ad Eun. V 2, 36 habere Ribbeckius dixit p. 178.

*) quae secuntur in Servii editionibus ‘et hoc ad Graecorum imitationem, qui ὁ θεός et ἡ θεός dicunt, sicut ὁ ἄνθρωπος καὶ ἡ ἄνθρωπος, vir et femina’ non sunt veteris scholiastae.

III 8, 4 Macrobius narrat Hyginum libro de proprietatibus deorum scripto docuisse, stellis et astris volucres tantum immolari: unde Vergilium Aen. V 517 de columba ab Eurytione deiecta perite dixisse *vitamque reliquit in astris aereis*. haec neque a Servio ipso neque ab interpolatore commemorata esse sciendum est.

Quae Macrobius III 8, 5—7 de Camilli nominis significatione et de Metabi filia Camilla nominata a patre et de camillis flaminicarum et flaminum praeministris exposuit, ad verbum redeunt apud interpolatorem ad Aen. XI 543: ut nihil sit, quod hoc loco interpolatorem e Macrobii libro sua transcripsisse negem. ceterum Pavuvii versum ab utroque laudatum in Parisino 7929 sic legi moneo ut editus sit.

III 8, 8—14 Macrobius narrat, quid Varro et Festus de moris vocis significatione docuerint, et probat Vergilium Aen. VII 601 et XII 836 ea voce ita usum esse, ut illi praeceperint. horum nihil inveni apud Servium aut interpolatorem. nam quae Servius ad Aen. VII 601 Varronis verba servavit 'Varro vult morem communem consensum omnium simul habitantium, qui inveteratus consuetudinem facit' non prorsus consentiunt cum hac Macrobii memoria 'Varro de moribus (*muneribus* legendum esse censem) Ritschelius in ind. lectt. Bonn. a 1845) morem dicit esse in iudicio animi, quem sequi debeat consuetudo.' neque tamen neglegendum est, Serviano scholio ad Aen. XII 836 interpolatorem doctissimam de moris et ritus vocibus disputationem addidisse, cuius altera pars interiit Parisino 7929 aliquot foliis orbato.

III 9 Macrobius Romanos cum urbem hostium obsiderent eamque capi posse confiderent certo carmine tutelares deos evocare solitos esse refert: properea et deum in cuius tutela urbs Roma esset et urbis ipsius nomen ignotum voluisse. dei tamen nomen non nullis antiquorum libris insitum esse, quem alii Iovem, alii Lunam, alii Angeronam, alii Opem Consiviam dixerint: ipsius urbis nomen ne doctissimis quidem notum esse. deinde e Sammonici Sereni libro quinto rerum reconditarum repetuntur carmina quibus dei tutelares ex urbe aliqua evocari et urbs devota fieri solebat. haec omnia proposita sunt ad versum qui est Aen. II 351 interpretandum. urbis Romae ipsius verum nomen neminem ne in sacris quidem enuntiare Servius ipse dicit ad Aen. I 277, addens Valerium Soranum tribunum plebis capitis damnatum esse, quod id ausus esset, neque Hyginum urbis nomen expressisse cum de situ eius loqueretur. haec apud Macrobium non leguntur. contra quae ad eundem de quo Macrobius

disputavit libri secundi Aeneidis versum interpolator protulit similia sunt Macrobianis, veluti consentiunt inter se Macrobii 'nam propterea ipsi Romani et deum in cuius tutela urbs Roma est et ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt' et interpolatoris 'inde est quod Romani celatum esse voluerunt, in cuius dei tutela urbs Roma sit' e. q. s. initia quoque carminum ab utroque commemoratorum aliquid certe habent similitudinis. de hac autem re cum permulti scriptores dixerint, ne illud quidem potest affirmari, ab eodem auctore Macrobius et interpolatorem sua mutuatos esse.

III 10 Euangelus a Macrobio inducitur vituperans, quod Vergilius Aen. III 21 taurum Iovi ab Aenea immolatum dixerit, cum taurum ei deo immolari vetitum sit, ut Ateius Capito de iure sacrificiorum lib. I et Labeo lib. LXVIII docuerint. respondet Euangelo Praetextatus, minime ignorasse poetam, quibus diis taurum immolare liceret; Aen. III 119 enim eum dicere *taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo*. deinde de consulto Maronem hostiam contrariam fecisse, ut locus fieret monstro secuturo. denique Ateium ipsum docere si immoletur Iovi taurus, rem fieri insolitam quidem, neque tamen inpiandam. Servius ipse ad Aen. III 21 haec habet 'contra rationem Iovi taurum sacrificat, adeo ut hinc putetur subsecutum esse prodigium. ubique enim Iovi iuvencum legimus immolatum ut (Aen. IX 627) *statuam ante aras aurata fronte iuvencum*, (Ecl. III 86 sq.) *pascite taurum, iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam*. item Iuvenalis (XII 9) *vitulus... qui vexat nascenti robora cornu*. nam in victimis etiam actas est consideranda.' recte quidem Ribbeckius I. 1. p. 104 Servii et Macrobii eandem esse sententiam dixit, neque tamen ideo Macrobius Servii commentarios pliores ad manum habuisse statuerim, ut Atei et Labeonis praecepta inde peteret. nam Servii adnotatio, quamquam brevior est Macrobii expositione, tamen non ita est comparata, ut ei videatur detractum esse aliquid. neque quem Macrobius laudat Aeneidis versum, ut quae hostia Iovi immolanda esset poetam scivisse probet, eundem nominat Servius. denique iuvencum pro tauro Iovi immolari solere dicit exemplisque Vergilianis probat Servius, omittit Macrobius. quae cum ita sint et eiusdem poetae obtrectatoris notis et eiusdem hominis docti disputatione, qua illae refutarentur, Macrobius et Servium usos esse probabilius, opinor, statuitur.

III 10, 1 et 2 Macrobius Euangelum facit vituperando affligentem Vergilii doctrinam, qui Georg. I 344 Cereri vino libare iusserit agricolas, cum vel Plautus eum docere potuerit, Cereri non debere vino libari: in Aulularia enim

(II 6, 5) legi *Cererin', Strobile, hi sunt facturi nuptias?* [Qui?] *Quia temeti nihil adlatum video.* respondet Praetextatus § 9 mitem Bacchum esse mulsum i. e. vinum melle mixtum et domitum quasi, mulso vero licere Cereri libare. cum his conferenda est Servii ipsius ad Georgicorum versum laudatum adnotatio quam e codicibus meis emendatam infra scripsi. *cui tu lacte favos et miti dilue Baccho]* cui tu liba de lacte melle vino. nam *) superfluum est quod quidam dicunt, contra religionem dixisse Vergilium, licere de vino Cereri sacrificari; pontificales namque hoc non vetant libri. quod autem ait Plautus cuius illi (*ipsi Regin. 1495*) utuntur exemplo *Cererin'* (*Cereri Regin. et Vatic. 3317*) *nuptias facturi estis? qui sine temeto luc advenitis (advenistis Regin.)* non est contrarium huic loco. nam aliud est sacrum, aliud nuptias Cereri celebrare, in quibus re vera vinum adhiberi nefas fuerat (*erat Regin.*): quae Orci nuptiae dicebantur, quas praesentia sui (*sua Vatic.*) pontifices ingenti solennitate celerabant. alii hunc locum aliter accipiunt, ut *miti Baccho* non sit septimus, sed dativus et duo numina intellegamus (*intellegimus Regin.*), Liberi et Cereris; nam supra quoque ait *in primis venerare deos*; ut sit sensus: cui, Cereri, et *miti Baccho* favos lacte dilue i. e. eis sacrificia melle et vino permixtis. eundem poetae vituperatorem et a Servio et a Praetextato refutari pro certo est, sed argumenta quibus utitur Praetextatus apud Macrobius e pleniore Servio petita esse quod dixit Ribbeckius l. l. p. 106, id moneo non esse probatum certis argumentis. etenim cum Servius vino Cereri libari pontificales libros non vetare narret, ad id testimonium non potest referri quod Praetextatus putat omnibus notum esse, a. d. duodecimum Kalendas Ianuarias Herculi et Cereri sue praegnate panibus mulso rem sacram fieri. neque explicationem a Praetextato prolatam, *miti Baccho* esse pro *mulso*, in scholiis Servianis periisse aliorum interpretatione inlata, qui *miti Baccho* dativo casu dictum esse statuerent, probabili ratione confirmari potest. itaque non adhibuisse Macrobius ad Euangeli vituperationes redarguendas Servii expositionem recte mihi videor contendere.

III 11, 3 sqq. poetam vituperat Euangelus quod Aen. VIII 279 in mensam libatum esse dixerit, cum in aram secundum morem libari debeat. respondet Praetextatus, illum facile augere potuisse difficultatem, si alium quoque Aeneidis

*) In Reginensi 1495 *nam* particulam haec secuntur 'non dicit favos vino aut lacte lavandos, sed ut haec tria ei debeant libari praecepit et.'

versum notasset qui est I 736 *dixit et in mensam laticum libavit honorem.* sed relatum esse in iure Papiriano, in fanis alia esse vasorum et sacrae supellectilis, alia ornamentorum: illarum rerum principem locum optinere mensam, in qua epulae libationesque et stipes reponerentur, eam enim eodem die quo aedem ipsam dedicari solere. ergo apud Evandrum apud eam mensam, quae cum ara maxima rite dedicata esset, iustum fieri libationem. cum hac Praetextati disputatione comparandum est interpolatoris ad Aen. VIII 279 scholion, quod hoc est *'in mensam laeti libant (dabant Paris. 7929)'* hoc est date vina volentes. quaeritur sane cur in mensam et non in aram libaverint. sed apud antiquos inter vasorum supellectilem etiam mensam cum aris mos erat consecrari, quo die templum consecrabatur, unde bene ait *in mensam laeti libant,* quam constabat cum ara maxima dedicatam, ut alibi (Aen. II 764) *mensaeque deorum.'* Macrobius, cuius multo plenior sit expositio, ab interpolatore Servii sua non petuisse manifestum est. contra interpolator quin Macrobii verba in breve contracta Servianis scholiis addiderit, nihil est cur in dubio ponatur, nisi quod ille secundi Aeneidis verba nominavit, quae Macrobius omisit. quare considerate iudicatum esse puto, si quis interpolatorem scholiastae alicuius adnotationem transcripsisse dixerit, qui eodem quem Macrobius habebat fonte usus erat. quod autem Aen. I 736 Didonem in mensam libantem Vergilius fecerit, ita excusat Praetextatus, ut reginae licuisse dicat quod ceteris non fuerit permisum. ad hunc versum Servii ipsius scholion habemus *'laticum libavit honorem'* more sacrorum. et tangit ritum Romanorum, qui panicias sacrasque mensas habebant in quas libabant, ut est (VII 116) *heus etiam mensas consumimus inquit Iulus?* in quo *panicias* vocem Servii esse nego, quem *arulas* scripsisse conicio. neque ab ipso Servio septimi libri versum illum, qui ad I 736 explicandum nullius momenti sit, laudatum esse mihi persuadere possum. in Cassellano codice Schoppio et Versero testibus *sacrorum* vocem sequentur *'diis enim hospitalibus et Iovi in mensam libabatur.'*

III 12 Vergilius ab Euangelo accusatur quod Aen. VIII 276 et Salios Herculi dederit et populeas coronas nominaverit, cum apud aram maximam sacrificantes sola lauro capita vincirent: praetorem urbanum quoque cum Herculi rem divinam faciat lauream coronam in capite habere, et Varronem in ea satura quae inscribatur *περὶ οὐρανοῦ* docere, maiores a Herculis sacris populum cum laurea corona cubitum dimisisse. ad defendantum poetam Praetextatus a Varrone rer. hum. lib. II narratum esse refert, lauro caput coronandi

consuetudinem multo post urbem conditam exordium sumpsisse. Servius ipse neque ea commemorat quae Macrobius Euangelum notantem fecit neque ea quibus Praetextatus Vergilium excusare studet. sed interpolatoris ad Aen. VIII 276 scholion ad hanc quaestionem pertinet. 'atqui lauro coronari solebant qui apud aram maximam sacra faciebant, sed hoc post urbem conditam coepit fieri, neque alia fronde circumdat caput praetor urbanus, qui graeco ritu sacrificat. sed poeta ad illud tempus retulit, quo Evander apud aram maximam sacra celebravit. Varro enim rerum humanarum docet in Aventino institutum lauretum, de quo proximo monte decerpta laurus sumebatur ad sacra, quamvis ipse dixerit (Ecl. VII 61) *populus Alcidae gratissima.*' quamquam pleraque interpolatoris verba simillima sunt Macrobianis, tamen non videntur e Macrobiis libro deprompta esse. neque enim Euangelus graeco ritu praetorem urbanum sacrificare dixit, quod non omisit interpolator, qui ipse Varronianae *περὶ ζεραύρων* saturae fragmentum non servavit et in reliquis quoque brevior est quam Macrobius. unde hoc quoque loco ab eodem auctore sua sumpsisse Macrobius et Servii interpolatorem probabile est. quae de Saliis Herculi datis Praetextatus docte multisque veterum scriptorum testimoniis laudatis disputavit eorum pars certe apud interpolatorem legitur ad Aen. VIII 285: conferantur enim inter se Macrobi haec 'Salios autem Herculi ubertate doctrinae altioris adsignat, quia is deus et apud pontifices idem qui et Mars habetur. et sane ita Menippea Varronis adfirmat quae inscribitur *Ἄλλος οὐνος Ἡρακλῆς*, in qua, cum de multo Hercule loqueretur, eundem esse ac Martem probavit. Chaldaei quoque stellam Herculis vocant quam reliqui omnes Martis appellant. est praeterea Octavii Hersennii liber qui inscribitur de sacris Saliaribus Tiburtium, in quo Salios Herculi institutos operari diebus certis et auspicato docet' et haec interpolatoris 'sunt autem Salii Martis et Herculis, quoniam Chaldaei stellam Martis Herculem dicunt, quos Varro sequitur. et Tiburtes Salios etiam dicaverant.' Macrobius neque interpolatori sua debere neque Servio usum esse manifestum esse opinor; is enim Aen. VIII 275 cur poeta communem deum Herculem dixerit explicaturus cum alia tum haec habet 'alii *communem deum* ideo dictum volunt, quia secundum pontificalem ritum idem est Hercules qui et Mars. nam et stellam unam habere dicuntur' e. q. s. post 'stellam' vocem interpolator ineptissime addidit 'Chaldaeis dicentibus.'

Extrema pars duodecimi huius libri capituli perdita est: quam idem continuisse quod apud interpolatorem ad Aen. IV 58 habeamus, Ribbeckius l. l.

p. 107 recte coniecit; agitur enim de errore poetae, qui Didonem pro nuptiis rem divinam facientem primum Cereri Phoebo Libero, tum demum Iunoni bidentes mactasse narraverit.

De quinto quoque Saturnaliorum libri locis non nullis cum Vergilianorum interpretum scholiis comparandis in hac commentationis meae parte aptius puto disputari quam in ea quam tertiam esse volui. quod 16, 9 breviter monet Macrobius Aegaeonem, qui apud Homerum (Il. a 403) auxilio sit Iovi, contra Iovem armare versus Maronis, id interpolator ad Aen. X 567 multo accuratius exposuit. — 17, 1 — 12 Macrobius Aristophanis poetae, Ephori, Didymi verbis laudatis et aquam veteres *'Αχελῷον* vocasse et cur id fecerint explicat; quibus usus esse possit videri is qui Serviano ad Georg. I 8 scholio haec inseruit 'sicut Orpheus docet [et Aristophanes comicus et Ephorus historicus tradunt, *'Αχελῷον*] generaliter [propter antiquitatem fluminis omnem] aquam veteres vocabant.' — 19, 1 — 5 narratur Cornutum ignorasse, unde Vergilius fabulam de Didonis crine ab Iride absciso petivisset, et adnotasse, poetico more eum aliqua fingere adsuevisse, ut de aureo ramo. deinde Macrobius ex Euripidis Alcestide, ubi Orcus in scenam inducatur gladium gestans quo erinem abscidat Alcestidis, poetam haec deprompta habere ostendit. haec Macrobium Ribbeckius l. l. p. 124 Servio debere statuit, cuius haec esset adnotatio ad Aen. IV 694 [*Irim demisit Olympo*] ut et supra diximus trahit hoc de Alcesti Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam secantem, quia fato peribat mariti.' quibus haec addidit interpolator 'alii dicunt Euripidem Orcum in scenam inducere gladium ferentem quo erinem Alcesti abscindat. Euripidem hoc a Phroenicho (sic Jahnius mus. rhen. IX 558, *Poenia* Daniel), antiquo tragico, mutuatum.' Servium qui Mercurium ab Euripide inductum esse narret dissentire videmus a Macrobio et interpolatore, qui Orcum Alcestidi erinem abscidisse referunt. quam dissensionem non assentior Ribbeckio ita explicari posse, ut ad Phrynicum Alcestin spectasse dicatur Servius, qui Euripidis fabulam Vergilium secutum esse et hoc loco docet et ad Aen. III 46, ubi 'denique' inquit 'obicitur Vergilio de mutatione navium in nymphas, et quod dicit, per aureum ramum ad inferos esse descensum, tertium, cur Iris Didoni comam secuerit. sed hoc purgatur Euripidis exemplo, qui de Alcesti hoc dixit, cum subiret fatum mariti.' itaque ut Orci loco Mercurius nominaretur Servii aut arbitrio factum esse puto, quam explicationem ipse Ribbeckius praeter illam proposuit, aut neglegentia, quod Muretus (var. lectt. IV 6) dixit. interpolator autem aut Macrobii aut alias

interpretis, quem Macrobius secutus est, copiis usus ad emendandum Servii testimonium ea quae supra transcripsi addidit. quam ob rem de ratione quae inter Servium et Macrobius intercedat sic statuendum videtur, utrumque eandem quidem commentatoris cuiusdam adnotationem repetuisse, quae in refutanda Cornuti sententia versaretur, Servium tamen non recte Mercurium posuisse, ut interpolator emendatione illa opus esse putaret. — 19, 15 sqq. Macrobius de Palico deo, quem Vergilius Aen. IX 584 commemorat, vel de Palicis deis doctissime loquitur. qua cum expositione etsi Servii ad illum versum scholion Palicos ἀπὸ τοῦ πάλιν ινέσθαι appellatos esse commune habet, et interpolator addit, Aetnae nomen, quod apud Servium legatur, non unum esse matris Palicorum, sed alios eam Thaliam nominasse, quod eius nomen fuisse Macrobius narrat, tamen reliqua quae Servius et interpolator tradiderunt a Macrobianis tam diversa sunt, ut a Vergilii interpretibus illis sua accepisse Macrobius non possit dici. — in vicesimo capite Macrobius quaestionem esse dicit, quae sint Gargara, quae Vergilius Georg. I 103 fertilitatis exemplar esse voluerit. duplum autem esse nominis et loci significationem; Homerum enim (Il. 9 47 et § 352) et Epicharmum in fabula quae inscribatur Troes Γάργαρον vel Γάργαρα Idae montis cacumen dixisse, Ephorum in libro quinto et Phileam in eo libro qui inscribatur Asia et Aratum in ἐλεγίων libro Mysiae oppidum Γάργαρα appellasse. Vergilium de oppido loqui, cuius agrum feracissimum dixerit propter humorem soli. 'unde' inquit 'haec Gargara tanta frugum copia erant, ut qui magnum euiusque rei numerum vellet exprimere pro multitudine immensa Gargara nominaret. testes Alcaeus qui in comoedotragoedia sic ait.... nec aliter Aristomenes ἐν Βοηθοῖς Aristophanes autem comicus.... est ergo secundum haec sensus horum versuum talis: cum ea sit anni temperies, ut hiems serena sit, solstitium vero imbricum, fructus optime proveniunt. haec autem adeo agris necessaria sunt, ut sine his nec illi natura fecundissimi Mysiae agri responsuri sint opinioni fertilitatis quae de his habetur.' his Macrobius verbis admodum similia sunt quae interpolator ad Georg. I 103 Serviano scholio addidit 'sane Gargara multi auctores Graeci, sicut Serenus Sammonicus tradit, altitudinem Idae montis et per hoc abusive omnes summitates montium Gargara appellant; esse etiam Gargara civitatem in radicibus Idae montis in provincia Moesia Asiae, quam constat naturaliter uliginosam et ob hoc frugum feracem, in tantum ut multi poetae Graeci Gargara abusive pro cuiusvis rei multitudine vel copia posuerint. ergo potest et hic sensus esse ut sit, cum ea sit anni temperies, ut (et Leidensis)

hiemps serena sit et solstitium umidum, fructus optime provenire, haec autem adeo (*ideo Leidensis*) esse agris necessaria, ut sine his ne illi quidem fecundissimi Moesiae agri responsuri sint opinioni fertilitatis, quae de his habetur.⁷ Macrobius, qui copiosius multo et doctius de versu illo Vergiliano disputaverit, sua debere interpolatorem facile quis coniecerit; sed Serenum Sammonicum, quem poetarum Graecorum Gargara commemorantium testimonia collegisse refert interpolator, Macrobius non nominavit. itaque has quoque de Gargaris disputationes Macrobius et interpolator ab eodem auctore accepisse videntur, e cuius libro illa quoque deprompta sunt quae Macrobius in exitu capitinis vigesimi, interpolator ad Georg. I 101 protulit. — 22, 1 sqq. Vergilius unde Opis nomen, quod Aen. XI 532 sociae et comiti cuidam Diana datur, acceperit Macrobius decet: Alexandrum Aetolum, poetam egregium, in libro qui inscribatur Musae, narrasse dedicato Dianae templo Ephesios praemiis propositis ad deam carminibus celebrandam poetas provocasse: in his versibus Dianam ipsam Opim semper vocari. idem tradit interpolator ad Aeneidis l. l., quamquam minus accurate rem narravit. — 22, 9 sqq. quae Macrobius de Panis et Lunae amoribus dixit ex eodem fonte hausta sunt, quo usus est is Vergilii interpres qui Philargyrius vulgo appellatur, qui ad Georg. III 392 haec habet 'et bene si credere dignum est, quia dicturus erat impie in deam. fabula sic est: Pan cum Lunae amore flagraret, ut illi formosus videretur, niveis velleribus se circumdedit, atque ita eam ad rem veneriam illexit. huius opinionis auctor est Ni- cander; nec poterat esse nisi Graecus.'

III.

In iis Saturnaliorum partibus, de quibus cum Serviano qui vocatur commentario comparandis adhuc non est dictum, num quae inveniantur Macrobii cum Servio similitudines ut quam brevissime exponam cum multa sint quibus monear, satis habebo significasse ubi possit videri Servio usus esse Macrobius et ubi apud Vergilii interpretem ea proferantur quae dissentiant a Macrobianis.

Quae Sat. I 3 Macrobius de die Romanorum dixit eorum prior pars e Gellio (N. A. III 2) transcripta est, quo Servius quoque ad Aen. V 738 usus

est, quamquam praeter Gellium Ciceronis in Auguralibus auctoritatem laudavit. quae deinde de civili die a Romanis in duodecim partes diviso docuit ex eodem fonte hausisse videtur, e quo Censorinus d. d. n. c. 24 sua deprompsit; eadem enim uterque duodecim tabularum verba laudarunt. similia apud Servium et interpolatorem ad Aen. I 110 et 139, II 268, III 587 habemus, quae tamen sciendum est non ita esse comparata, ut Servium Macrobius videatur secutus esse. — I 7, 20 et 9, 4 cur Ianus bifrons diceretur Macrobius aliter explicavit quam Servius ad Aen. I 291 et XII 198. — Ianus cur aera ita signaverit, ut ex altera parte sui capitinis effigiem ex altera navem exprimeret, Macrobius I 7, 22 et interpolator Servii ad Aen. VIII 357 similiter exposuerunt: qui consensus cum ad rem notissimam enarrandam pertineat non est cur inde repetatur, quod Macrobius Vergilii interprete auctore usus sit. — nonum huius libri caput, quo de Iano agitur, conferendum est cum interpolatoris annotatione ad Aen. VII 610: ubi quamquam sunt quae cum Macrobianis consentiant, veluti Ciceronis sententia, qua Ianum rectius Eanum vocari et ab eundo nominatum esse docemur, apud utrumque legitur, pleraque tamen quae de Iani natura veteres credidisse dicuntur aliter explicata habemus quam apud Macrobius, ut Patuleii et Clusivii nomina. Utile autem haec interpolatoris verba cum Servii ipsius ad Aen. I 291 expositione conferre, ut quam diversa saepe tradant Servius et interpolator intellegatur. — I 15, 9 sqq. quae de kalendis dicta sunt cum Servii ad Aen. VIII 654 verbis saepius comparata sunt, nihil tamen video cur Servio Macrobius sua debere statuatur, neque omnino probabile Macrobius, qui non tam e pluribus auctoribus singulas disputationum suarum particulias conferre quam tota capita et maiores etiam partes continuas ex eodem exscribere soleat, singulis tantum locis Servium excerptisse. idem pertinet ad I 16, 9 sqq. quae cum Servianis quae dicuntur scholiis ad Georg. I 268 269 272 non nulla communia habent. — I, 16 Apollinem eundem esse quem Solem Macrobius ostendit, in quo capite nihil inveni quod e Servii commentario petitum esse recte diceretur. sed quae § 43 de Apolline, qui *rōuος* cognominetur a Graecis, exposuit contraria sunt Servii praeceptis ad Ecl. V 35 et Georg. IV 7. — 18, 8 Macrobius quod solem cum in infero sit Dionysum i. e. Liberum patrem haberi dicit dissentit a Servii sententia, qui ad Ecl. V 66 Apollinem in terris esse Liberum patrem docuit. — 18, 16 Liber pater cur dicatur aliter a Macrobius explicatur quam a Servio ad Aen. III 20. — 18, 23 et 24 Vergilii versus qui sunt Georg. I 7 et 84 explicantur.

quae disputatio cum Serviana nihil habet commune, nisi Cererem et Lunam, Apollinem et Liberum eosdem deos esse. — 20, 9 Macrobius gigantum pedes in draconum volumina desinere narrat, quod nihil illi rectum, nihil superum cogitaverint 'totius vitae eorum gressu atque processu in interna mergente.' Servius ad Aen. III 578 habet 'et quia de humillimis ad summa reptabant dicti sunt pro pedibus habuisse serpentes.' — celeberrimam de Veneris et Adonis amoribus fabulam a Macrobio 21, 1 sqq. commemoratam interpolator quoque ad Ecl. VIII 37 et X 18 narravit, neque tamen explicaciones eius e rerum natura petitas habet quae apud Macrobius leguntur. — matrem deum cur veteres finxerint leonibus vectam, de qua re 21, 8 agitur, Macrobius aliter explicat quam Servius ad Aen. III 113 et X 253 — 23, 7 daemones vocatos esse quasi δαίμονας i. e. scientes futuri Macrobius dicit. idem fere Servius habet ad Aen. III 111 'daemones ... quasi δαίμονες qui totum sciunt?' cf. quae supra de Sat. I 7, 22 dixi.

In libro quarto, cuius sex capita supersunt, Macrobius Symmachum (cf. Iani prol. p. XIX) explicantem inducit, quibus artibus Vergilius usus sit, ut affectus eorum qui carmina sua lecturi essent moveret. permulti proferuntur versus in quibus quae rhetoricae artis praecepta Vergilius observaverit ostendit. praeterea duas ampliores orationes, Iunonis dico quae est Aen. VII 293 sqq. et Turni quae legitur Aen. XII 636 Symmachus ita interpretatur, ut 'brevibus sententiis et crebris figurarum mutationibus' poetam patheticas eas reddidisse demonstret. cum ne Servius quidem rhetoricum illud, ut ita dicam, interpretationis genus neglexerit (cf. ad Aen. VII 529 sqq.), si Ribbeckii sententia quam supra repetivi vera esset, non posset non esse quam maxime mirum, quod de nullo eorum versuum qui apud Macrobius laudati et explicati sunt a Servio similiter disputatum est. nam quod in capite quarto (§ 3), quo pathos quod dicatur e causa frequens esse apud Vergilium ostenditur, Galesi morte misericordiam excitari dicitur, cum is non belli sed pacis causa adfuisse narretur (Aen. VII 536), id nemo putabit e Servio petitum esse, qui ad l. l. adnotavit, poetam causam reddidisse, cur senex bello interesset. neque omittendum videtur vehementer dissentire inter se Servium et Macrobius de Aeneidis versu qui est XII 778 intellegendo, ubi hic (6, 10) Turnum cum diceret *tuque optima ferrum Terra tene* ad inanimale aliquid et mutum sermonem direxisse putat, ille a poeta *terra* elementum pro dea positum esse docuit.

In quinto libro Macrobius Eusthatium fingit a Praetextato oratum esse, ut quid Vergilius e graecorum poetarum, Homeri in primis, carminibus in sua transtulisset exponeret. eorum versuum quos Homero Vergilius subduxerit notitiam num Servio debuerit Macrobius nolo singillatim persecui, sed generatim eam quaestionem tractabo. itaque CXL fere versus Eusthatius laudat quos ex Homeri carminibus Vergilium petuisse certum sit. ex his XVI a Servio quoque nominantur, XLIII ab interpolatoribus Servii antiquis et noviciis, reliquorum non fit mentio in commentariis nostris. praeterea moneo ē sex et viginti Homeri locis, qui in additamentis ad commentarios eorum Aeneidis librorum qui sunt VI—XII cum Vergilianis conlati sint, quattuor legi in Parisino 7929, XVIII in libris saeculo quinto decimo scriptis, quattuor in omnibus quos viderim Servii codicibus desiderari, ut ab editoribus eos additos esse probabiliter conciatur. de reliquis quinti libri capitibus iam supra dixi, ut nihil restet, nisi ut quae 17, 7—20 Macrobius habeat e Gellio (N. A. XVII 10 et XIII 27) petita esse dicam, et 18, 23—21 cum Servianis ad Aen. VII 684 sqq. et 21, 18 et 19 cum Servio ad Aen. VII 662 conferri iubeam, quibus locis diversa tradunt Servius et Macrobius quae 16, 10 et 19, 6 sqq. a Macrobio commemorantur eorum in Servianis commentis nec vola nec vestigium adparet.

Sexti libri capitibus I—V Vergilius quid latinis poetis antiquioribus acceptum referat exponitur. atque in primo capite LXIV laudantur Ennii Lucilii Lucretii aliorum versus quos Vergilium suis carminibus inseruisse ostenditur: e quibus duos Servius ipse, quattuor interpolatores nominarunt, reliqui non commemorantur. qui in capite secundo recensentur Lucretiani loci cum Vergilianis comparandi ex iis tres Servius quoque nominavit ad Georg. III 289 et 478 et ad Ecl. VI 31. capite tertio exponitur 'quos locos primum alii ex Homero transtulerint, inde Vergilius operi suo adsciverit' ubi qui Homeri versus proferuntur eorum mirum est quod Servius aliquot cum Vergilianis contulit, omisit autem latinorum poetarum fragmenta quae Macrobius laudavit. deinde Servii ad Aen. VI 625 scholion 'Lucretii versus sublatus de Homero [ἐν τῷ Β' Πιάδος 489 οὐδὲ εἴ μοι δέκα μὲν γλωσσαὶ, δέκα δὲ στόματ' εἰλεν] sed aerea vox dixit' cum his Macrobius conferantur 'Homeri est οὐδὲ εἴ μοι ξ. τ. λ. hunc secutus Hostius poeta in libro secundo belli Histrici ait non si mihi linguae centum e. q. s. hinc Vergilius ait non mihi si linguae centum' e. q. s. capite quarto vocabula latina graeca barbara significantur quibus Vergilius primus usus esse videri possit, cum tamen ante veteres iisdem usi sint.

ad Aen. VI 90 dicit quidem Servius *addita* verbum esse Lucilii et antiquorum, neque tamen ipsos Lucilii versus quos Macrobius § 2 excripsit laudavit. similiiter Aen. XI 601 Ennianum esse versum monuit non proferens Ennii versus quos Macrobius § 6 plenos protulit. reliqua antiquorum scriptorum et poetarum testimonia quae Macrobius servavit non habet Vergilii interpres, qui vocabulorum de quibus agitur significatum saepe aliter explicat quam Caecina in Saturalibus (cf. Serv. ad Ecl. VI 5 et Macrob. 4, 12 sq., Serv. ad Georg. II 374 et Macrob. 4, 23). capite quinto epitheta quae apud Vergilium nova videantur vetustioribus quoque in usu fuisse demonstratur. Andromachae Ennianae verba quae sunt *naves velivolas*, quae Macrobius § 10 habet, Servius quoque servavit ad Aen. I 224, ubi de *velivolas* adiectivi vi accuratius disputat quam Macrobius l. l.; consentit praeterea Servius cum Macrobius de *mulciber* (Aen. VIII 724) et de *liquidus* (Ecl. VI 33) vocabulorum significatione executienda, sed reliquorum quae apud Macrobius sunt nihil ipse habet. interpolator ad Ecl. VI 33 Lucretianum versum, qui est VI 205 (*color Leidensis*) et ad Georg. I 75 Ennianum, qui est saturarum 25 apud Vahlenum, laudavit, quos apud Macrobius quoque 4 et 5 habemus.

His ita expositis nemo, opinor, dubitabit quin Servium non sit secutus Macrobius in iis libris de quibus extremo loco dixi. ut autem intellegatur e quibus fontibus Macrobius sua hauserit repetam Suetoni verba in vita Vergilii p. 65 sq. R. (p. 740 Hagen), quae haec sunt 'Herennius tantum vitia eius, Perelli Faustus furta contraxit. sed et Q. Octavi Aviti homoeon elenchon (δημοτικῶν Hagen coniecit) octo volumina quos et unde versus transtulerit continent' cf. Ribbeckius prolegg. p. 99.

Vereor ne nimius fuisse videar in Macrobius libro cum Servii commentariis conferendo, neve existant qui ad Ribbeckii sententiam refutandam satis dicant futurum fuisse, si certis aliquot exemplis in medium prolatis Macrobius Servii commentariis non esse usum demonstrassem. quibus respondeo non id unum egisse me, ut contra Ribbeckium dicerem, sed disputationes illas quasi fundamentum esse voluisse conjecturarum quarundam, quibus probatis

de quaestionibus non nullis ad Servium Servianosque qui dicuntur commentarios pertinentibus rectius iudicari posset.

Ac primum quidem quo tempore floruerit Servius, cum eius commentarios Macrobius ignotos fuisse constet, si non rectius at certius quam antea dici poterit. nam Lioni rationem, qui praef. p. V Servium aequalem Macrobius natu maiorem fuisse statuit, perversam esse iam perspexit Emanuel Teuber, qui in *commentatione de M. Servii Honorati grammatici vita et commentariis Vratislaviae a. 1843* edita p. 8 Servium aequalem Macrobius natu paulo' minorem fuisse probabiliter coniecit. sic enim res se habet. *Saturnalia* quo tempore conscribebat Macrobius Servius aut nondum scripserat commentarios suos, quamquam Vergilii carminibus in publico interpretandis iam magnam eximiae eruditionis famam sibi comparaverat, aut editi quidem commentarii, sed Macrobius hominum sermonibus, non legendo cogniti: itaque aut acquiescamus oportet in eorum sententia, qui aetate non accuratius definita aequalem Macrobius Servium dixerunt, aut aequalem Macrobius natu minorem eum fuisse statuendum est. ut dicam quod sentio, alterum praefero. nam si Servius commentarios suos iam edidisset, non dubito quin Macrobius de Vergilio scripturus eius grammatici quem ipse summis laudibus prosequitur libros quae siturus fuerit. deinde quod Sat. I 1, 5 Macrobius dicit, nolle se sibi fraudi esse, si uni aut alteri ex iis quos coetus coegerit matura aetas posterior saeculo Praetextati fuerit, id ad Servium potissimum pertinere probabiliter mihi videor conicere, quippe quem peradolescentem sermonibus illis interfuisse saepius de industria pronuntiare videatur Macrobius. cf. Sat. I 2, 15, VII 11, 2. Praetextatum autem a. 385 mortuum esse O. Jahnus in *commentatione de subscriptionibus in actis soc. Lips. 1851* edita p. 338 sqq. docuit. atque de Macrobius aetate Suringarum hist. schol. lat. I p. 163 et Ianum prolegg. p. V sq. probabiliter disputasse iudico. nam quamquam codicis Theodosiani libri sexti titulo octavo de praepositis sacri cubiculi VIII Id. Novembr. Constantinop. Honorio XIII et Theodosio X aa. consss. i. e. p. Chr. n. 422 dato nostrum Macrobius significari conicendo tantum adsecuti sunt Gothofredus et alii homines docti, quod *vir inlustris* Macrobius et in titulo illo et in librorum manu scriptorum inscriptionibus et subscriptionibus appelletur, ea tamen conjectura tam certis rationibus aliunde petitis confirmatur (conferantur praeter Suringari et Iani verba supra laudata quae O. Jahnus l. 1. de subscriptionibus quae in compluribus commentarii in somnium Scipionis codicibus leguntur disputavit), ut nihil sit quod de eius

veritate dubitemus. itaque recte illi viri Macrobius exeunte saeculo quarto et in eunte quinto floruisse dixerunt. Servii autem aetatem mediam inde consequitur in priorem saeculi quinti partem incidisse.

In tertio autem Saturnaliorum libro quintique particulis aliquot cum Servio conferendis erunt fortasse qui parum prudenter fecisse me dicant cum Ribbeckium, qui pleniore Servii commentario, qui ea quoque quae Burmannus uncinis inclusit olim amplexus, sed postea mutilatus et ab indoctis hominibus in breve contractus gravem calamitatem passus sit, Macrobius usum esse statuerit, redarguere volens, id quod demonstrandum fuerit verum esse posuerim atque librorum memoria et Isidori aliorumque testimonii innixus interpolatoris additamenta a Servii scholiis seiuncta tractaverim. qua in re etsi argumentandi artis leges parum curiose me observasse concedam, ad obscurandam tamen argumentationis veritatem eum errorem non puto multum valuisse. etenim iis quoque quae in altera huius commentationis parte exposui Danielis additamenta non esse eius, qui ea quae Servii codicibus continentur scripsit, quam maxime confirmatur. nam quattuor tantum locis similes esse vidimus Servii ipsius et Macrobius expositiones eamque similitudinem non ita comparatam, ut e Servio hausisse sua Macrobius, sed ut eadem uterque auctoritate usus esse videretur: octiens vero diversa inter se dicere Servium et Macrobius; septiens neque Servium neque interpolatorem habere intelleximus quod apud Macrobius legitur. quod novem praeterea locis Servius ipse solus nihil habet eorum quae Macrobius dicit, id ad hanc quaestionem dirimendam non pertinet.

Deinde autem criminis mihi auguror datum iri neglectam Ribbeckii sententiam, qui mutilatos esse docuerit Servii commentarios. neglexi quidem, sed videor excusari posse, cum mutilata esse constet illa scholia non posteaquam Servianis adglutinata essent, sed eo ipso tempore quo adglutinentur. quod ita esse qui negabit, is non poterit apte explicare, qui factum sit, ut non detruncarentur Servii ipsius scholia, quae integra servata esse Isidori, mythographorum, aliorum verba comparata ostendunt. itaque cum quinque tantum locis is sit inter Macrobius et interpolatorem Servii consensus, ut alter alterius expositionem transcripsisse dici possit, cum decem locis Macrobius copiosius dixerit quam interpolator et duodecim interpolator copiosius quam Macrobius, denique cum sex loci ita sint comparati, ut partim Macrobius partim interpolatoris verba propius accedere videantur ad communis e quo hauriebant fontis sinceritatem, et Macrobius et eum qui Servii commentarium amplificaverit eodem

vel eisdem auctoribus usos esse statuendum est. nam quominus a Macrobo sua mutuatum esse dicamus interpolatorem, eo prohibemur, quod hic de rebus sacris, ut hoc exemplo utar, permulta dixit, quae non leguntur apud Macrobiū.

Gravissimam autem iacturam fecit Vergilianorum interpretum memoria, quod nusquam Macrobius eos nominavit, quos secutus est. Asprum quidem et Cornutum et Haterianum laudavit (III 5, 9 et 6, 3. V 9, 3. III 8, 2), neque tamen inde consequitur ipsos eorum commentarios eum ad manū habuisse. nam quod ipse dicit Sat. praef. 5, apes se imitatum esse quae vagarentur et flores carperent, deinde quicquid attulissent disponerent ac per favos dividerent et sucum varium in unum saporem mixtura quadam et proprietate spiritus sui mutarent, id noli ita interpretari, ut eum multorum auctorum testimonia dispersa ipsum congressisse, congesta disposuisse putas. sic potius rem se habere septimus liber e Plutarchi quaestionibus convivalibus maximam partem conscriptus multaque Gellii capita in Saturnaliorum libros translata docent, ut Macrobius auctorum suorum, quos non multos habuisse videtur, maiores partes continuas in suum usum converterit. quod cum ita sit eos quoque Saturnaliorum libros, quibus de arte et doctrina Vergilii explicanda et defendenda agitur, non e multis antiquiorum interpretum commentariis congestos esse suspicor, sed transcriptos eiusdem vel plurium libros, qui Vergilii carmina interpretantes non versuum ordinem secuti sunt, sed singulas quaestiones, veluti de rebus sacris, de rhetoricae artis praeceptis a Vergilio diligenter observatis, de aliorum poetarum versibus receptis, singulis libris comprehenderunt. cuius conjecturae probabilitas cum eo defenditur quod in tertio libro quae ad Vergilii versus interpretandos dicta sunt eandem orationis simplicitatem p̄ra se ferunt, quae ab affectato Macrobiī sermone quantopere differat neminem fugit, tum alia observatione augetur quae ad interpolatoris rationes pertinet. qui Serviani commentarii ordine obstrictus cum discerperet expositionum quas excribebat continuitatem, vide sis quibus molestiis laboraverit quamque saepe quae apud Macrobiū ad plures versus, qui similes sint inter se, explicando in unum comprehensa et semel dicta sunt repetiverit in singulis illis versibus interpretandis: conferri iubeo quae de interpolatoris adnotationibus cum primis tribus et maxime cum quarto tertii libri capite conferendis supra exposui. atque illa quidem, quae quinto libro sextoque Macrobius de fontibus Vergilii dixit, unde peti potuerint certe, iam significavi. tertii autem libri auctorem esse conicio scholiastam aliquem, qui rerum sacrarum antiquitates a Vergilio commemoratas

explicandas suscepit: quem propter Hateriani auctoritatem laudatam ineunte fere saeculo quarto scripsisse suspicor. cf. Ribbeckius prolegg. p. 177.

Restat ut de interpolatore Servii quam brevissime dicam. atque quod unum hominem Servii commentariis amplificandis operam dedisse posui, id volo in eam partem accipi, ut ad genus interpolatorum significandum singulari numero usus esse videar. plures enim probabile est Servianis scholiis alia addidisse, eosque neque eodem tempore floruisse neque easdem rationes secutos esse: hinc mira orationis varietas repetenda, hinc egregia doctrina cum notissimarum rerum inscientia consociata. neque unum illum Macrobi auctorem excrispsisse putandi sunt interpolatores, sed aliorum quoque scholiastarum expositiones aut integras aut in brevius contractas addidisse. sed nolo diutius conjecturis indulgere: illud certum et Macrobi libris comparatis exploratum, Danielis additamenta tantum non omnia ex antiquorum interpretum commentariis petita esse: qui utrum diligenter ab interpolatoribus transcripti sint necne, ubi Macrobi aliorumve testimonia non possunt conferri, ex forma scholii et habitu ipsi iudicare coacti sumus. neglegentiam autem interpolatorum cum in eo maxime positam esse probaverimus, quod testimonia ab auctoribus suis laudata omissis scriptorum nominibus repeterent, librorum de antiquitate populi Romani in primis rebusque grammaticis scriptorum permultas reliquias in additamentis illis latere manifestum est.
